1 Bürg

XVII 6/1

2

DEVOTIONALE FRANCISCANUM

CONTINENS

Selectiſsimas preces, Varia Officia, ac Litanias, unà cum Appendice diverſorum.

PRO USU

FF. MINORUM OBSERVANTIUM

Cum Superiorum permiſsu.

GRODNÆ Typis S. R. M.

1788.

Obtulit Universa Multitudo Hostias & laudem Mente devota. *Paralip.* 2. *c.* 29. *v.* 31.

Lingva mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam. *Psalm.* 34. *v.* 28.

Sic Psalmum dicam Nomini tuo Domine, ut reddam vota mea de die in diem. *Psal:* 60.

Fratres — Sanctæ Orationis & Devotionis Spiritum non extingvant. *S. Franciscus in Reg. c.* 5.

ACCESSUS
AD DEVOTIONALE FRANCISCANUM
Ex Geneologia Ordinis.
DE
INITIO ET PROGRESSU ORDINIS S. FRANCISCI.

S. P. *Franciſcus ſui Ordinis, quem* Fratrum Minorum *appellari voluit, jecit Fundamenta.* A. 1208.

Regula Ejus primùm 23. *capitibus conſtans, vivæ vocis oraculo ab Innocentio III. A.* 1210. *approbata, & in Lateranenſi Concilio. A.* 1215. *publicata eſt, ſub qua militavit Ordo Annis* 13.

Hæc ad compendioſiorem formam reducta, 12. *capitibus compræhenſa, totam ſubſtantiam prioris nervoſius continet, quæ ab Honorio III. A.* 1223. *diplomate:* Solet Annuere. *Confirmata eſt, illamq; Ordo ſemper tenet.*

S. Pater pro ſpeciali ſui Ordinis ſymbolo elegit, altiſſimam paupertatem, non tantum a Fratribus in particulari, quod Omnibus Religioſis Ordinibus competit, ſed etiam in Communi a toto ordine ſimul ſumpto ſervandam.

Post transitum S. Patris 4. Octobris A. 1226. P. Helias Ordinis Minister Generalis electus A. 1227. allegans impossibile servari absolutè Regulam, aperuit viam Relaxationis.

Sed ex adverso insurrexerunt Regulæ Zelatores, quorum ferventissimus S. Antonius Paduanus in faciem Heliæ restitit, adeò, ut à Gregorio IX. in Capitulo Generali Romæ. A. 1230. P. Helias fuerit amotus ab Officio.

Sequaces tamen Heliæ minimé destiterunt a Relaxationibus imò Majores augebant, quas non modo superstites Socij ac Discipuli S. Patris verùm pleriq; Fratres Zelantes aversabantur, unâ cum pijssimis Ministris Generalibus, quos V. apud Perusinum Tom. 3. p. 2. in Catalogo *ex illorum numero.*

B. Joannes à Parma *A.* 1248. 7. *M. G. in quo Spiritum S. Francisci revixisse superstites ipsius Socij asserebant è quibus B. Ægidius Eum salutando dixit:* Bene venisti Pater, sed tarde, *innuens multa irrepsisse, quæ dissona erant Regulæ.*

S. Bonaventura *A.* 1256. 8. *M. G. D. S.*

D. S. Episcopus & Cardinalis, qui Ordinem prius per Annos 18. *tandem succedente in Ministeriatu Hieronymo Tineo atq; eodem ad Pontificatum sub Nomine* Nicolai IV. *assumptô iterum per Annos* 4. *egregiè rexit, Doctrinâ & Sanctitate clarissimus Vir, Regulam in sua puritate servavit, ac servare curavit.*

Progressu quoq; temporis, juxta promissionem a Christo D. datam S. Francisco non defuerunt tam in Capitibus, quam in membris, Veri Regulæ Ejus Observatores. Quales extiterunt. Angelus a Clareno *A.* 1294. Joannes Minius *A.* 1296. 14. *M. G. Seraphicæ paupertatis zelo illustris, qui in S. Æde Aracœlitana Professionem à D. Ludovico Regio Principe, & mox Episcopo Tolosano emissam excepit.* Joannes de Vallibus. *A.* 1334. Gentilis de Spoleto *A.* 1350, *qui a Clemente VI. impetravit locum* Bruliani *Solitarium pro exactiori ibi ducenda Observantia.* Paulus de *Trincis A.* 1368. *qui eundem Locum* Bruliani *iterum obtinuit. Ubi Regularem Observantiam Florentem* Thomas Farignanus. 22. *M. G. mirifice promovit. Fovit hanc Obser-*

van-

vantiam Gregorius XI. concessitq; alia Multa loca circa Avenionem. Foverunt & alij Generales, ut Leonardus de Rubeis *A.* 1373. 24. *M. G.* Antonius de Pireto *A.* 1405, 29. *M. G. qui Joanni de Stronconio plurima loca in Tuscia concessit.*

Unde ortum est, quod Fratres in Cœnobijs pauperrimis manentes, Regulamq; purè observantes FF. de Familia *vel* de Observantia *vocarentur, ad distinctionem FF, qui in Conventibus majoribus cum Relaxationibus habitantes* Conventuales *appellabantur.*

Cum autem Relaxationibus in dies crescentibus in Ordine finem imponere nulla spes videretur ex una parte, ex altera vero ut notat Ferraris Tom 6. tit. Relig. Reg. fol: 332. N. 10. Novifs. Edit. Rom. A. 1767. *duobus primis sœculis Franciscanis nullum privilegium, nulla concessio Apostolica habita fuerit, quibus redderetur licitus Fratribus usus possessionum aut bonorum ad Annum* 1430. *Observantium hinc Familia in* Cismontanam & Ultramontanam *divisa est, & Unicuiq; Vicarius Generalis destinatus, ex decreto S. Concilij Constantiensis, A.* 1415.

Hoc

Hôc seculô Divinâ favente providentiâ Observantium Familià longè lateq; diffusa est per Orbem terrarum, atq; fulgentissima Regularis Observantiæ Sydera corruscarunt, videlicet: S. Petrus Regalatus, S. Bernardinus Senensis.

S. Joannes Capistranus *Primus in Italia Vicarius Generalis. A.* 1443. V. Perusinum Tom. 3. p. 2. in Catalogo, *qui FF. Observantes in Poloniam introduxit A.* 1453. *Primumq; Conventum Cracoviæ* in Stradom *erexit, sub titulo S. Bernardini neo protunc Canonizati, unde* PP. Fracifcani *Reg. Observ: vulgo in Polonia nuncupantur* Bernardini.

S. Jacobus de Marchia, *qui Franciscum Savonensem doctrinâ, morum suavitate & Zelo spectabilem, eligi curavit in Ministrum Generalem. A.* 1464. *Eumq; Spiritu prophetico prœdixit futurum Pontificem, prout eventus monstravit sub Nomine* Sixti IV. *A.* 1484.

Item S. Didacus. B. Angelus à Clavasio, B. Gabriel Ferreti, B. Pacificus a Ceredano, B. Petrus a Molliano, B. Simon à Lipnica, B. Joannes de Ducla, B. Ladislaus de Gielniow, *&*

alii

alii multi Franciſcanœ diſciplinœ ſervandœ ſtudioſiſſimi.

Tantô itaq; cœlitus datô incrementô permotus Leo X. S. Pontifex inſtantibus etiam Maximiliano Imperatore, & omnibus fermè Chriſtianis Regibus, Principibus, Civitatibus, ac Communitatibus, ut Ordinem S. Fran: ſuœ integritati reſtitueret Capitulum Generaliſſimum Romœ in Conventu de Aracæli *indixit. A.* 1517. *In quo cum FF. Conventuales relaxationibus renuntiare nollent, FF. Omnes Regulam S. Fran: in ſua puritate Obſervantes adunavit in Unum Corpus ſub Nomine* Regularis Obſervantiæ, *ex eis Miniſtrum Generalem Totius Ordinis eligi ſtatuit, Eiq; ſic electo Sigillum Ordinis antiquum tanquam Legitimo S. Fran: Succeſſori tradi mandavit per Bullam:* Ite & vos.

FF. vero Conventuales *in aliud corpus ſeparatos penes Privilegia Relaxativa reliquit ſub proprio Superiore Magiſtro Generali per Bullam:* Omnipotens DEUS.

Factâ tandem, hâc Ordinis diſmembratione, quidam FF. de Obſervantibus uti F. Ludovicus *&* F. Raphael de foro Somppronio *Duce* P. Mathæo de Baſſo, *prout tunc licitum erat,*

erat, transierunt ad PP. Conventuales, P. quidem Mathœus reversus est ad Observantes, ibiq; piissimè mortuus Venetiis in Ecclesia S. Francisci Conventus Vinearum sepultus est. Socij autem Ejus a Clemente VII. impetrarunt facultatem A. 1526. *per Bullam:* Religionis Zelus *Eremiticam ducere vitam sub Regula S. Francisci, habitum cum Caputio acuto gestare, FF. ad Ordinem suscipere barbam deferre, & privilegiis Minorum ac Camaldulensium gaudere. Quam Congregationem sub Nomine* Capucinorum *confirmavit Paulus III. A.* 1528. *per Constit:* Exponi Nobis.

Tres igitur distincti Ordines nunc militant sub Regula S. Francisci, nimirum: FF. Minorum Capucinorum, FF. Minorum Conventualium, & FF. Minorum de Observantia sive Regularis Observantiæ cum suis Congregationibus Reformatis.

Minister Generalis FF. Minorum Observantium, ut dictum est, tenet Antiquum Ordinis Sigillum, habetq; Solus *Titulum* Ministri Generalis Totius Ordinis S. Francisci *sine ullo addito, ex quo Ipse continuâ, & non interruptâ serie a Seraphico Patre de-*

descendit, cum Fratribus sibi obedientibus, sicut declaravit Leo X. Constit: Licet alias & *S. Rituum Congregatio ultimatè definivit Romæ* 22. *Martij A.* 1631.

Sub S. P. Francisco militant etiam Moniales Clarissæ *à S. Clara dictæ, quarum Regulam à S. Patriarcha institutam approbavit Innocentius IV. A.* 1212.

Item sub S. P. Francisco militat Tertius Ordo dictus de pænitentia, *pro utroq; sexu à Seraphico Patre institutus A.* 1221. *sub propria Regula, quam confirmavit Nicolaus IV. Constit:* Supra Montem.

Insuper ab Ordine S. P. Francisci originem seu progressum, vel dependentiam habuerunt variæ aliæ Congregationes Regulares, & Sæculares. V. Ferr: Tom. 6. tit: Relig: Regul: fol: 330. art: 5. per extensum.

DE PRÆROGATIVIS ORDINIS SERAPHICI.

1. *Regula FF. Minorum ab ipso Christo D. dictata fuit de verbo ad verbum S.P.N. Francisco, ut testatur S. Birgitta. lib.* 7. *Revelation:* 2.

2. *S.P.N. Franciſcus quinq: Sacra ſtigmata accepit à Chriſto D. in monte* Alverniæ.
3. *S.P.N. Franciſcus magnam Portiunculœ Indulgentiam immediatè à Chriſto D. obtinuit.*
4. *Juxta Revelationem à Chriſto D. datam S.P.N. Franciſco Ordo durabit uſq; in finem Mundi; FF. in puritate Regulœ perſeverantes ſervabuntur à mortalibus, ſalvabuntur ſine purgatorio, Inimicis autem Ordinis haud proſperabitur.*
5. *S.P.N. Franciſci S. Corpus integrum Divina virtute in pedes erectum hodiedum ſtat.*
6. *In Coronatione Sum: Pontificis tertia collecta ponitur de S. P. N. Franciſco ex quo viſus eſt ſuſtentare Eccleſiam Lateranenſem.*
7. *Cultus Smi Nominis JESU per S. Bernardinum Senenſem, & S. Joannem à Capiſtrano in Univerſam Eccleſiam introductus eſt.*
8. *Defenſio Immacul: Concep: B. V. M. Scoto D. S. & Scotiſtis attribuenda eſt.*
9. Ex Ordine Reg. Obſ. *Solemniter Canonizati ſunt* 25. *Beatificati circa* 100. *Prœterea numerantur Marty-*

tyres ultra 1500. *&* *ultra.* 6000. *Confeſſores, Virgines, ac Viduæ Inſuper fuére* 4. *SS. Pontifices; circa* 100. *Cardinales, ultra* 100. *Archi-Epiſcopi & Epiſcopi innumeri.*

10. *Soli Franciſcani circa* 500. *Annos terram Sanctam ſeu Palæſtinam in habitant, & S. D. N. J. C. Sepulchrum, aliaq; loca ſacra cuſtodiunt.*

11. *Guardianus Montis Sion per Orientem eſt Commiſſarius Apoſtolicus, Pontificaliter celebrat, auratoſq; Smi Sepulchri Equites creat.*

12. *Sub Obedientia Miniſtri Generalis militant Provinciæ* 170. *Cuſtodiæ* 8. *Conventus* 3580. *Monaſteria Monialium* 848.

Hæc omnia ex Annalibus Ordinis deſumpta, pro brevi Notitia ſuccintè ſunt hic appoſita.

PRECES MATUTINÆ.

Fxpergefactus dic:

Deus Deus meus ad te de luce vigilo. In matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus, Et spiritus sancti gratia illuminet sensus & corda nostra.

Surgendo dic:

In nomine Jesu Christi surgo, ille me benedicat, regat, custodiat & ad vitam perducat æternam. In Nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti, Amen.

Benedicta sit Sancta & individua Trinitas, nunc & semper & per infinita sæcula sæculorum.

Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum. *Gloria Patri &c:*

Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege & hora Mortis suscipe. *Jesu Tibi sit gloria &c.*

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna

hodie

hodie illumina inſtrue cuſtodi, rege & guberna Amen.

S. P. N. Franciſce cæteriquæ Sancti Patroni mei veſtra tutella me circumvallate ut non accedat ad me malum, & flagellum non appropinquet tabernaculo meo.

Tandem ad orationem jam compoſitus perge per hæc quinque puncta.

1. *Lauda Deum gratias agendo.*

Domine Deus ſummum & omne bonum meum, adoro Te. laudo Te, & amo te propter infinitam bonitatem tuam, Tibique infinitas gratias ago, pro univerſis beneficiis tuis omnibus diebus vitæ meæ, potiſſimum vero hac nocte mihi conceſſis, quod mortuus in peccatis meis non fuerim, ſed adhunc usq; diem ſervatus, ut per fidem, ſpem charitatem & pænitentiam ac Chriſtianæ legis opera gratiam tuam Deus mihi conciliare valeam, in hoc brevi & incerto vitæ meæ curriculo.

2. *Offer Deo Te tuaque ſic.*

Ego etiam in gratiarum actionem & in vim tanti beneficii offero tibi

Do-

Domine Deus meus, animam meam, Cor meum, corpus meum, offero quoque omnes potentias animæ meæ, intelectum, voluntatem, memoriam, offero etiam omnes potentias corporis mei, omnia & singula opera mea, suppliciter petens, a tua infinita bonitate & Clementia ut de me meisque omnibus tanquam de tuis statuas, vitam meam ad tui Nominis gloriam dirigas, bonisque suggestionibus intellectum illustres, fervore charitatis affectum ad te moveas, sensusque sermones & actus meos ad salutem animæ meæ componas.

3. *Dispone actiones Diurnas & dic:*

Domine Deus meus quidquid die hodierna cogitavero, dixero, vel fecero hoc totum ad maiorem tuam gloriam, Beatissimæ ac gloriosissimæ Virginis Mariæ, Sanctissimi P. N. Francisci & omnium Sanctorum honorem offero. Quia vero scio opera mea nihil ex se valere posse, ideo omnia & singula opera mea, dicta, facta cogitata jungo cum Sanctissimis & infinitis meritis unigeniti Filii tui Domini Nostri Jesu Christi Salvato-

vatoris & Redemptoris mei dulcissimi.

4. *Memora, seu revoca tibi in Memoriam defectus quos in examine hæsterno observasti, atque dic:*

Domine Deus meus, scio quod propter peccata mea multa & magna indignus sim gratia tua, ideo nunc de omnibus & singulis peccatis meis simul collectis, ex amore tui doleo, detestor illa, & coram Maiestate tua protestor, quia in æternum peccare nolo. Propono Domine mi Sanctissime ac Infinite, Optime, Maxime, cum divino tuo auxilio hodie & semper omnia peccata vitare, consveta vitia ad quæ propensior sum depo nere, actiones meas ad tuam gloriam referre & in virtutibus me exercere.

5. *Subsidiumque pete.*

Domine Deus meus, rogo tuam infinitam bonitatem & clementiam quatenus me in omnibus his propositis meis adjuves, quia sine te miserrima creatura nihil possum Rogo te per viscera misericordiæ, ut me ab omni peccato custodias, ne cogitatione ver-

verbo, vel operé Divinam Maieſtatem tuam ullo pacto offendam. Exaudi me clamantem ad te Deus meus, Deus meus & omnia; Qui vivis & regnas in ſæcula ſeculorum Amen.

EXERCITIUM

Intentionis & virtutis erga Deum ac B. V. Mariam cum actibus jaculatoriis per Septimanam.

Die Dominica Intentio *Cognitionis Dei ſuper omnia, & ſui infra omnia & Gratioſiſſimæ Electionis B. V. Mariæ a ſæculis millenis ex creaturis in virgineam Maternitatem Dei.* Actus *Domine noverim me, noverim te.* Ex S. Auguſtino.

Feria 2. Intentio *amoris Dei & Mariæ ſuper omnia & ſpecialisſimæ ab omni labe præſervationis B. V. M.* Actus *Deus meus & omnia.* Ex S. Franciſco.

Feria 3. Intentio *perſeverantiæ in bene cæptis continuandis ac perficiendis, & ſpecioſiſſimæ inter Filias Jeruſalem Divinis Charismatibus*

bus pulchritudinis B. V. M. Actus *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis* ex Pſalmo 67.

Feria 4. Intentio *Modeſtiæ in actibus internis ac externis moderandis & profundiſſimæ ab omni creaturæ gradu, in Angelis Paſtoribus, magis &c. adorationis B. V. M.* Actus *pone Domine cuſtodiam ori meo* ex Pſalmo 140.

Feria 5. Intentio *præſentiæ Dei enter preſenter ubique potenter illabentis & dulciſſimarum ex Contubernio & præſentia Chriſti Domini conſolationum B. V. M.* Actus *Vivit Dominus in cujus conſpectu ſto ex* III. Reg: 17.

Feria 6. Intentio *Reſignationis proprii velle ſuimet totius cum omnibus quæ intus & foris concernunt, & mœſtiſſimæ in ſæva paſſione & Morte unigeniti ſui compaſſionis B. V. M.* Actus *Paratum cor meum Deus paratum ex* Pſalmo 167.

Sabbatho Intentio *gratitudinis Deo & Mariæ pro cunctis beneficiis inter alia vocationis ad S. Religionem, & ſoleniſſimæ in glorioſa aſſum-*

ptione

ptione ab ipſa tota S.S.S. Trinitate cum tota cœleſti curia Coronationis B. V. M. Actus *Quid retribuam Domino pro omnibus, quœ retribuit mihi,* ex Pſal 113.

MODUS PIE MEDITANDI

Seu abſolvendi quotidianam Orationem Mentalem, quœ tribus conſtat partibus, videlicet:

I. Præparatione, quæ habet tres actus.	*I. Siſte ſe coram Deo* *II. Poſtula gratiam meditandi* *III Rem de qua meditandum ob oculos mentis ſibi propone.*
II. Meditatione, quæ item habet tres actus.	*I. Conſidera rem propoſitam ſeu lectam* *II. Pios affectus elice* *III. Propoſita ſtatue vel de bono agendo, vel de malo vitando.*

III. Conclusione, quæ etiam tres habet actus.	*I. De progressu orationis seu effectu gratias Deo age* *II. Proposita Deo offer.* *III. Postula gratiam implendi proposita.*

ACTUS

PRÆCIPUARUM VIRTUTUM ac ORATIONUM PER DIEM EXERCENDARUM

Ad SSS. Trinitatem.

Adoro te Sanctissima Trinitas Pater & Filius & Spiritus Sanctus tres Personæ unus & solus Deus.

Deiicio me in abysum mei nihili sub conspectu Divinæ Maiestatis tuæ Credo firmissime paratus mille vitas profundere in contestationem omnium eorum, quæ nobis in Sacra scriptura revelasti, & per ecclesiam tuam credenda proposuisti.

Omnem spem meam in te colloco

& quidquid possum habere boni sive spiritualis sive corporalis, & in hac, & in altera vita, id totum desidero, spero & volo solum consequi de tua manu, Deus meus, vita mea, & unica spes mea.

Consigno tibi hodie & in perpetuum corpus & animam meam, omnes potentias meas, memoriam intellectum, voluntatam, & omnes sensus meos

Protestor me non consentire, nequé consensurum unquam quantum in me est in ullam rem, quæ fiat vel cum minima offensa tuæ Divinæ Maiestatis.

Propono firmissime impendere omne esse meum, facultates ac vires meas ad servitium & gloriam tuam.

Paratus sum suscipere omnes adversitates, quas mihi paterna tua manus immiserit, ad dandum gustum beatissimo cordi tuo. Vellem me totum, quantus quantus sum impendere & procurare, ut ab omnibus tibi serviatur, atque omnes homines te glorificent, & ament Deum Creatorem suum.

Gau-

Gaudeo ſumme de tua æterna felicitate, & exulto de tua tam magna gloria in Cælo & in terra,

Gratias tibi ago infinitas pro innumeris beneficiis, quæ mihi & toti mundo collata ſunt, & indies inceſſanter a benigniſſima tua providentia conferuntur,

Amo tuam infinitam bonitatem propter ſeipſam ex toto affectu cordis & animæ meæ, & vellem si poſſem amare eo amore, quo te amant Angeli & homines juſti, cum quorum amore, conjungo imperfectiſſimum amorem meum.

Offero Divinæ Majeſtati tuæ in Unione Meritorum paſſionis vitæ & mortis Chriſti, Beatiſſimæ ſemper virginis, & omnium ſanctorum ex nunc & pro ſemper omnia opera mea, prætioſiſſimo Sanguine Jesu Redemptoris Noſtri lota & involuta.

Statuo omnino participem me facere, quantum poſſibile eſt, indulgentiarum per actiones hujus diei, & illas applicare per modum ſufragii pro animabus purgatorii.

Volo etiam omne illud, quod poſ-
ſum

ſum offerre in pænitentiam & ſatisfactionem meorum peccatorum.

Deus meus cum tu ſis infinite dignus omni amore & ſervitio ſi quidem tu es, qui es, doleo quantum poſſum, maxime de omnibus meis peccatis, illaque deteſtor ſupra omnia mala alia, peto humillime veniam, facioque firmiſſimum propoſitum nunquam oſlendendi tuam bonitatem in æternum.

In tua vulnera me proijcio o Jesu ibi me abſconde & defende hodie & ſemper donec mihi largiaris gratiam videndi te & amandi in æternum. Amen.

JESUS MARIA Joſeph, vobis dono cor meum & animam meam.

ACTUS FIDEI.

Humilime adoro & firmiſſime credo o SSS. Trinitas Te Deum unum in eſſentia, & Trinum in perſonis, Credo Patrem ingenitum, verum principium omnium. Credo Filium DEI unigenitum Redemptorem ac Salvatorem meum, Deum verum & ho-

& hominem. Eumq; in Euchariſtia realiter & ſubſtantialiter contineri. Credo Spiritum S. à Patre & Filio procedentem gratiarum omnium largitorem Credo univerſa a te Deus meus revelata mihiq; ab Eccleſia Sancta ad credendum propoſita, Credo autem ideo quia tu DEUS infinitæ authoritatis, qui nec falli, nec fallere potes, ita revelaſti. Et proteſtor me millies ſacius, mori velle, quam vel minimum à Sancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia recedere: Deus meus adauge fidem meam.

ACTUS SPEI.

Totam meam ſpem colloco in te mi JESU! ac in virtute Sanctiſſimæ paſſionis tuæ. Expecto quæcunq; mihi promiſſa ſunt, quia tu ſummè bonus Nobis es, Spero te affuturum in pugna ſpirituali adjutorem in neceſſitatibus & anguſtijs tutorem, in hora mortis meæ vitam & coronam meam. Oro te ut non confundar, quia ſperavi in te mi JESU! Spero Pater dilectiſſime DEUS remiſſionem peccatorum bona ſpiritualia & vitam

æter-

æternam propter infinitam bonitatem & misericordiam tuam, & propter merita Domini Noſtri JESU Chriſti infiniti valoris.

ACTUS AMORIS DEI.

O mi amantiſſime DEUS, amo te ſuper omnia propter infinitam bonitatem & excellentiam, & ad te ſummum bonum toto cordis affectu feror. In Immenſiſſima hac tua bonitate exulto & gaudeo, quod te omnes Angeli honorificent & laudent. O mi Creator, quàm ego cupio, ut omnes homines te agnoſcant & colant, tibi uni ſerviant! Ah quam me pœnitet omnium peccatorum meorum! Et ideo ſtatuo legem tuam poſt hac in omnibus obſervare, omne ſolatium meum in Sanctiſſimo tuo beneplacito quærere & averſari quidquid tibi diſplicet. Mi DEUS, omnia mea tua ſunt. Tibi omnia conſecro, propter te adverſa omnia libenter tolerabo, permiſſione & diſpoſitione tua ſemper contentiſſimus ero. O Bonitas te nunquam amare deſinam!

ACTUS CONTRITIONIS.

Domine JESU Chriſte, qui es verus Deus & homo, Creator ac Redemptor meus, pænitet me ex toto corde, quod offenderim te Dominum meum, & Deum meum, quem amo ſuper omnia, & propono firmiter amplius non peccare, omneſq; peccandi occaſiones devitare, confiteri & implere pænitentiam, quæ mihi fuerit injuncta. Et in ſatisfactionem peccatorum meorum offero tibi paſſionem tuam, merita Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum. Atquè omnia opera mea, & totam vitam meam. Et confido in bonitate & miſericordia tua infinita, quod per merita prætioſi ſangvinis ac mortis tuæ mihi remiſſurus ſis omnia delicta mea, & gratiam uberem largiturus, quâ vitam ſanctè inſtituere, tibiq; perfectè uſq; ad finem ſervire valeam. Qui cum Patre Sanctoq; Spiritu vivis & regnas DEUS in ſæcula benedictus Amen.

Gra-

Gratiarum actio pro Beneficio Creationis.

Gratias tibi ago Domine DEUS, Pater Omnipotens, Rex cæleſtis, qui me indignum famulum tuum ad imaginem & ſimilitudinem tuam creare dignatus es, & unicum cordis tui Filium in Mundum pro ſalute noſtra miſiſti, pro quo Tibi ſit laus honor, Deus, & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Gratiarum actio pro beneficio Redemptionis.

Gratias tibi ago Domine JESU Chriſte Fili Dei vivi, qui me indignum peccatorem tuo ſangvine prætioſiſſimo redemiſti, & tuum corpus ac Sangvinem in cibum & potum reliquiſti, pro quo Tibi ſit laus, honor, decus & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Gratiarum Actio pro beneficio ad Sanctam Fidem, ac Religionem Vocationis.

Gratias tibi ago Domine Sancte Spiritus DEUS, qui me indignum

peccatorem ad fidem Sanctam, insuper ad Sacram Religionem vocare dignatus es, & à multis periculis animæ & corporis, & hactenus ab æterna damnatione per multa defluentem vitia præservasti pro quo tibi sit laus, honor, decus & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Pactum cum DEO quotidianum

DEUS omnipotens ex amore & desiderio te hac tota die laudandi, sanctifico, dico & consecro tibi omnes pulsus & motus cordis, & omnium arteriarum mearum, hocquè pactum tecum in eo, quod omnes eorum motus idem significent, quod hæc verba: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabahoth.* Quam significationem præfatis Motibus inditam vellim, adeo, quod a tua Divina Majestate per eosdem idem intelligatur, quantum intelligitur per illud cæleste canticum à Seraphinis decantatum fiat, fiat. Amen.

Pactum per septimanam renovandum.

Domine DEUS Creator meus, tu scis desiderium meum, & gemitus me-

meus à te non eſt abſconditus, ſed quia præſentis vitæ Neceſſitates minus ſinunt mentem laudi tuæ intendere, ideo tale pactum, quod hac totâ ſeptimanâ firmum permaneat, tecum ineo.

Quoties cœlum ſuſpexero, toties gratulabor & congaudebo Tibi ob infinitas perfectiones tuas, quod ſis, qui es, ſummè potens, ſapiens, benignus, & juſtus.

Quoties oculumclauſero vel aperuero, toties rata & grata habeo omnia opera & actiones, quas Unigenitus tuus, & omnes Sancti ac juſti ad laudem tuam unquam fecerunt, & deinceps facient, meq; horum participem fieri deſidero.

Quoties halitum traxero, toties offero tibi vitam, Paſſionem & Sangvinem Domini Noſtri JESU Chriſti, omniumq; Sanctorum merita & paſſiones, in laudem æternam, & ſalutem Univerſitatis, omniumq; totius mundi peccatorum ſatisfactionem.

Quoties ſuſpiravero, toties deteſtor & abominor omnia & ſingula peccata tam mea, quam omnium homi-

minum, ab initio mundi contra honorem Nominis tui perpetrata, quæ utinam meo ſangvine aliquatenus compenſari poſſent.

Demum quoties manum, vel pedem movero, toties ex amore tui proijcio, & reſigno me totum in tuam Sanctiſſimam Voluntatem optans, ut de me in tempore, & æternitate diſponas juxta tuum laudabiliſſimum be neplacitum. Et hæc quinquè pacta, ne unquam irritari poſſint, ſacratiſſimis quinq; Vulnerum tuorum ſigillis obſigno, eaq; rata ac valida eſſe volo, licet tunc, cum unum de eisdem edidero, de eisdem minime cogitarem, Amen.

Ad Beatiſſimam Virginem.

Spes animæ meæ poſt Deum Virgo Maria, in illam commendationem, in illam fidem, quâ te dilectus Filius tuus Dominus Noſter JESUS Chriſtus, dilecto diſcipulo ſuo Joanni commendavit, commendo tibi hodie & ſemper corpus meum, Animam meam, horam exitus à corpore animæ meæ, & omnes actus meos, ac

præ-

præcor te, ut ſerves me à peccatis, à ſcandalo, ab omni confuſione humana, ac immundis cogitationibus, ab omni mortali peccato, a ſubitanea, improvisa, & mala morte, & ab omnibus periculis animæ ac corporis, ne unquam me in tale permittas, labi peccatum, quo gratiam DEI amittam, da mihi de præteritis emendationem, de imminentibus effugium, & de futuris cautelam, da mihi in hac vita contra omnia adverſa promptum adjutorium, & eſto mihi in tremendo judicio Advocata apud dilectum Filium tuum Dominum Noſtrum JESUM Chriſtum, Amen.

Ad Sanctum Angelum Cuſtodem.

Obſecro te Angelice Spiritus, ex ordinatione Divina Cuſtos & tutor mei fideliſſime, ut me in via pacis, proſperitatis & ſalutis hodie, & ſemper dirigas, atque ab omni malo ſpiritu defendas. Aſſiſte mihi fideli cuſtodia, ut te adjuvante ſentiam efficax DEI Auxilium, quo ſerver a lapſu, & periculis, in gratia vero boni-

nisq; operibus, & DEI creatoris mei cultu ac amore constans permaneam, Eumq; una secum & sanctis omnibus laudem per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Ad Sanctos Patronos.

O Sancte Pater Francisce, & vos mihi singulariter dilecti Sancti Patroni & Advocati mei. NN. congaudeo & congratulor ex gaudio gloriæ & felicitatis vestræ, sed suspirat & anhelat ad Vos gemens ac tremens anima mea inter tot hostes & salutis discrimina. Vos mei Clientis Vestri memores, estote, & obtinete mihi gratiam DEI validam & efficacem, ut fortiter hostibus meis, mundo, carni, & diabolo resistam & ne ullis unquam ipsorum insidiis & viribus succumbam, Sed Christo JESU Salvatori meo, usq; ad mortem exemplo vestro constanter adhæream, ut nunc Vobis in gratia, & tunc conjungar in gloria, DEUM unâ vobiscum laudem per omnia sæcula sæculorum.

Pro Defunctis.

O Pijſſime JESU miſerere Animabus in purgatorio detentis, pro quibus redimendis humanam Naturam aſſumpſiſti, mortemq; amariſſimam ſubijſti. Miſerere gemituum, Miſerere lachrymarum, quas ad te fundunt; Et per Virtutem Sanctiſſimæ Paſſionis tuæ, condona eis pænas pro peccatis ipſarum debitas. Deſcendat pijſſime JESU! prætioſus Sangvis tuus in purgatorium, & recreet, ac refrigeret ibi captivas & patientes, porrige eis dexteram tuam, & ducas eas in locum refrigerij Lucis & pacis, Amen.

VARIA SUSPIRIA.

In Egreſſu Cellæ.

Vias tuas demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Greſſus meos dirige ſecundum eloquinum tuum, ut non dominetur mei omnis injuſtitia.

In aſperſione aquæ.

Aſperges me Domine hyſsopo & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

In ingreſſu Eccleſiæ.

Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum & confitebor nomini tuo. *Ulterius cum S. P. N. Franciſco.* Adoramus te Sanctiſſime Domine JESU Chriſte hic & ad omnes Eccleſias tuas, quæ ſunt in toto mundo & benedicimus tibi, quia per Sanctam crucem tuam redemiſti mundum.

In adoratione SSS. Sacramenti.

Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum nunc ſemper & per infinita ſæcula ſæculorum, Amen. Adoro te dulciſſime JESU hic mei amore latentem affectu totius Univerſitatis, da, ut quem credo, videam in æternum.

Transeundo Crucem.

Domine JESU Chriſte! per amaritudinem illius paſſionis tuæ, quam ſuſtinuiſti in cruce, maxime in illa ho-

hora, quando anima tua egreſſa eſt de Sancto corpore tuo, miſerere animæ meæ, maximè in egreſſu ſuo.

Tranſeundo Cœmeterium.

Avete omnes Chriſti fideles Animæ! det vobis requiem ille, qui vera eſt requies. JESUS Chriſtus Dominus Noſter per ſuam miſericordiám liberet vos à pænis, faciatq; reſurgere, Angeliſq; ſuis ſociari.

Ad Sonum Horologij.

Benedicta ſit hora, in qua Dominus Noſter JESUS Chriſtus pro nobis incarnari, naſci & mori dignatus eſt. O Domine JESU Chriſte! in hora mortis meæ miſerere mei.

Ante opus aliquod.

Actiones Noſtras quæſumus Domine aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio & operatio, a te ſemper incipiat & per te cepta finiatur.

In fine Cujuslibet operis.

Domine JESU! in unione perfectiſſimorum operum tuorum, offero ti-

tibi hoc opus meum emendandum, ac DEO Patri præsentandum in laudem æternam, Amen.

ORATIONES

ANIMÆ PÆNITENTIS, ANTE CONFESSIONEM SACRAMENTALEM.

1mo:

Per Sanctorum omnium Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum atque Sanctarum Mulierum merita, orationes, intercessiones, passiones & sufragia, infunde cordi meo Clementissime Deus per gratiam Spiritus Sancti compunctionem & fontem lachrymarum, ut possim reatum conscientiæ meæ perfectè cognoscere, & delicta facinorum meorum plenarié con-

confiteri, & devotè, commissa accusare, & de commissis omnibus dignam agere pænitentiam valeam, & de his tua præstante gratia & misericordia, perfectam habere veniam. Amen.

2do:

Suscipe confessionem meam piissime ac Clementissime Domine Jesu Christe! Unica spes salutis animæ meæ, & da mihi obsecro contritionem cordis, & lachrymas oculis meis, ut defleam diebus ac noctibus omnes negligentias meas, cum humilitate & compunctione cordis. Appropinquet oratio mea in conspectu tuo Domine, si iratus fueris Domine contra me! quem adjutorem quæram, aut quis miserebitur iniquitatibus meis. Memento mei Domine, qui Chananæam, & Publicanum vocasti ad pænitentiam, & Petrum lachrymantem suscepisti, Domine Deus meus suscipe preces meas, Salvator mundi Jesu bone qui te Crucis morti dedisti, ut peccatores salvos faceres, respice in me miserum peccatorem invocantem Nomen tuum,

um, atque noli ſic attendere malum meum, ut obliviſcaris bonum tuum. Et ſi commiſi unde me damnare potes, tu non amiſiſti, unde me Domine ſalvare potes, parce ergo mihi, qui es Salvator meus & miſerere peccatrici animæ meæ, ſolve vincula ejus, ſana vulnera Domine Jesu! te deſidero, te quæro, te volo, oſtende mihi faciem tuam, & ſalvus ero. Emitte igitur piiſſime Domine meritis puriſſimæ & Immaculatæ ſemper Genitricis Dei virginis Mariæ & Sanctorum tuorum lucem tuam, & veritatem tuam in animam meam, quæ omnes defectus meos in veritate mihi oſtendat, quos confiteri me oportet, atque juvet & doceat ipſos plenè, & contritô corde explicare. Qui vivis & regnas &c.
Hic fiat Examen Conſcientiæ.

Actus Contritionis.

O Judex ſupræme, æquiſſime, & ſuper omnia tremendé! Ecce ego viliſſimus peccator, coram te ſtans, me totum tibi proſterno & humiliter confiteor, quia in multis, præſertim in his *NN.* in te & co-

ram

ram te peccavi. Idéoque doleo super his & omnibus peccatis meis, doleo non tam propter damna & mala, quæ incurri, sed potissimum, quia te Deum Creatorem meum offenderim. Et nunc Domine Deus Pater misericordiarum, omnia & singula peccata mea, imo & totius mundi depono in Cruenta vulnera tua, & in prætiosum sanguinem tuum projicio, ut ibi per merita & intercessiones B. V. M. Matris tuæ, & S. P. N. Francisci, & omnium Sanctorum, ad nihilum redigantur, absorbeantur, & expientur, Et quia dolor meus valdè imperfectus, obsecro te, ut per dolores & contritiones cordis tui, Tuæque Sanctissimæ Matris compassiones & Sancti Petri, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, cæterorumque omnium, qui unquam verè pænituerunt lachrymas, quidquid mihi deest, benigne & abundanter suppleas, & hunc contritionis veræ actum in me ad gloriam tuam, & salutem Nostram perficias, propono per gratiam tuam ab omni peccato abstinere, confidenda confiteri, & quamcun

cunque pænam ſubire. Credo tuæ paſſionis infinitum meritum, agnoſco nullis meis pænitentiis poſſe me vel pro minimo peccato ſatisfacere. Teque velle illud per Nos offeri. Ideo nunc Tibi, & per Te Deo patri offero in plenam pro peccatis meis, & totius mundi ſatisfactionem, quidquid feciſti & pertuliſti, triginta tribus annis Nobiscum converſando in terris.

Accedendo ad Confeſſionem.

Ecce Domine! ego Vilis peccator, pauper, malus, & indignus, venio ad Te ſuperfluentem abyſſum pietatis, ut laver ab omni macula, & munder ab omni peccato.

Jesu Fili Dei vivi miſerere mei! Jesu mi! pænitet me te offendiſſe, Jesu pie! propitius eſto mihi miſero ac maximo peccatori.

Et tu o Glorioſiſſima Mater Dei Maria, interveni pro me, Sancte Pater Franciſce & Vos Sancti Patroni mei, omnesque cæli cives orate pro me. Tuqué Sancte Angele Cuſtos, commenda hanc bonam Voluntatem meam miſericordiæ Divinæ. Amen.

POST

POST CONFESSIONEM SACRAMENTALEM.

Pſalmus 102.

Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus.

Benedic anima mea Domino: & noli oblivifci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam; qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.

Miſerator & miſericors Dominus: longanimis & multum miſericors.

Non ſecundum peccata Noſtra fecit Nobis: neque ſecundum iniquitates Noſtras retribuit Nobis.

Quantum diſtat ortus ab occidente: longe fecit a nobis iniquitates noſtras.

Quomodo miſeretur Pater Filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe: quoniam ipſe cognovit figmentum Noſtrum.

Bene-

Benedicite Domino omnes Angeli ejus: Miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino omnia opera ejus: in omni loco Dominationis ejus: benedic anima mea Domino. *Gloria Patri &c.*

Oratio.

Sit tibi Domine obſecro meritis Beatæ ſemper Virginis Mariæ Genitricis tuæ, & omnium Sanctorum, & Sanctarum, grata & accepta confeſſio mea, & quidquid mihi defuit nunc, & alias de ſufficientia contritionis & de puritate & de integritate confeſſionis, ſuppleat pietas & miſericordia tua, & ſecundum illam digneris me habere plenius & perfectius abſolutum in cælo. *Qui vivis & regnas &c.*

Oratio pro remiſſione peccatorum.

Omnipotens Deus, Pater miſericors, ecce indignus ego peccator coram Divinæ tuæ Majeſtatis Solio, compareo multitudinem delictorum meorum in Divinam legem, Sanctamque voluntatem tuam ad pedes tuos proi-

proijcio, multiplicata erant in carne mea ſuper numerum, ſicut arena, quæ eſt in littore maris, & veluti onus grave, gravata ſunt ſuper me. Agnoſco Domine hoc Sathanæ regnum eſſe in me, quod carnis meæ concupiſcentias ſequutus in Unitate cogitationum, in levitate Verborum, in ſtultitia operum, in cæcitate cordis, in amore mei, in mentitæ virtutis colore, & denique in picta demortuæ fidei imagine miſeram, hei mihi, ſervitutem tanto tempore ſuſtinui. O Dolorem! quod nunquam firmô propoſit ô iniquiſſimi illius hoſtis, tyrannidem carniſque meæ abiecerim jugum, contra Sanctas ac Salutares Divini ſpiritus inſpirationes obduratô animô ſecluſerim. Væ mihi, qui tot tantiſque delictis beneficentiſſimi Patris indignationem, iramque meruerim, ſed Clementiſſime Pater, quoniam juſtitia tua per fidem Jesu Chriſti in omnes & ſuper omnes credentes manifeſta eſt, ut omnes juſtificationem, quæ eſt in Chriſto Jesu conſequerentur, quem tu Deus poſuiſti omnibus propitia-

tio-

tionem per fidem in sanguine ipsius Igitur veræ fidei in hoc gratiæ tempore per Jesum Christum a Te Patre augmentum exopto, & pro ipsius nomine remissionem delictorum meorum efflagito, ut de debito securus, deinceps innovationem vitæ proponens, omnibus impiis concupiscentiis inimicus, sobriè, jejunè, piè, temperanter, Clementer, benignè & humiliter secundum Divinam voluntatem tuam in tuo timore hujus vitæ cursum peragam, mundo, carni, peccatisque mortuus, Filii tui Domini Nostri Jesu Christi adventum cupidè expectem. Qui tecum vivit & regnat &c.

Oratio

Sacerdotis ante Administrationem Sacramenti pœnitentiæ.

Domine Jesu Christe hoc sacrum pænitentiæ Sacramentum administrare volo in amore illo superexcellenti, quô illud sanctificasti, cum præ vehementissimo salutis Nostræ desideriô illud instituisti, & ab Apo-

ſtolis eorumque Succeſſoribus administrari voluiſti ad laudem Dei Patris, & ſalutem totius generis humani, rogans, ut in unione amoris tui, tam mihi, quam omnibus & ſingulis, quibus illud adminiſtrabo, cedat in augmentum ſalutis, & beatitudinis æternæ. Spiritus Sancti gratia ita illuminet, accendat, & conſervet ſenſus meos, & cor meum, ut juxta tuum ſummum beneplacitum injunctum miniſterium perficere, & ab omni tentationum incurſu præmuniri & præſervari merear. In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Post Adminiſtrationem.

Domine Jesu Chriſti Filii Dei vivi, ſuſcipe hoc obſequii mei miniſterium in amore illo ſuperdigniſſimo, quo Beatam Mariam Magdalenam, & omnes ad te confugientes peccatores abſolviſti, & quidquid in Sacramenti hujus adminiſtratione negligenter minuſve dignè perfeci, ut per Te ſupplere & ſatisfacere digneris, oro: omnes & ſingulos, qui mihi modo confeſſi ſunt, commendo

dul-

dulcissimo, cordi tuo rogans: ut eosdem custodias, & a maligna recidiva præserves, atque post hujus vitæ miseriam Tecum ad gaudia æterna perducas. Amen.

ORATIONES

ANTE SS. COMMUNIONEM.

Oratio S. Thomæ Aquinatis.

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum Unigeniti Filii tui Domini Nostri Jesu Christi, accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus ad Dominum cæli & terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem, ut te panem Angelorum Regem Regum, Dominum Dominantium tan-

ta ſuſcipiam cum reverentia, & humilitate tantà, contritione & devotione, tantà puritate, & fidei tali propoſitô & intentione, ſicut expedit ſaluti animæ meæ. Da mihi quæſo Dominici corporis & ſanguinis non ſolum ſuſcipere Sacramentum, ſed etiam rem & virtutem Sacramenti. O mitiſſime Deus, da mihi corpus Unigeniti Filii tui Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quod traxit de Virgine Maria ſic ſuſcipere, ut corpori ſuo Myſtico merear incorporari, & inter ejus membra connumerari. O Amantiſſime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via ſuſcipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit & regnat &c.

Oratio Sancti Ambroſii.

Ad menſam dulciſſimi convivii tui pie Domine Jeſu Chriſte, ego peccator de propriis meritis nihil præſumens, ſed de tua confidens miſericordia, & bonitate accedere vereor, & contremiſco. Nam cor & corpus meum habeo multis criminibus

bus maculatum, Mentem & linguam non caute cuſtoditam. Ergo o pia Deitas! o Tremenda Majeſtas, ego miſer inter anguſtias depræhenſus ad te fontem miſericordiæ recurro, ad te feſtino, ſanandus ſub tuam protectionem fugio, & quem Judicem ſuſtinere nequeo, Salvatorem habere ſuſpiro. Tibi Domine plagas meas oſtendo, tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa & magna, pro quibus timeo. Spero in miſericordias tuas, quarum non eſt numerus. Reſpice ergo in me oculis miſericordiæ tuæ Domine Jesu Chriſte, Rex æterne Deus, & homo crucifixe propter hominem. Exaudi me ſperantem in te, miſerere mei pleni miſeriis & peccatis, tu qui fontem miſerationis nunquam manare ceſſabis. Salve ſalutaris Victima pro me & omni humano genere in patibulo Crucis oblata! Salve Nobilis & prætioſe Sanguis de Vulneribus Crucifixi Domini mei Jesu Chriſti profluens, & peccata totius mundi abluens, Recordare Domine Creaturæ tuæ,

quam

quam tuo ſanguine redemiſti, pænitet me peccaſſe, cupio emendare quod feci. Aufer ergo a me Clementiſſime Pater omnes iniquitates & peccata mea, ut purificatus mente & corpore digne deguſtare merear Sancta Sanctorum, & concede, ut hæc Sancta prælibatio corporis & ſanguinis tui, quam ego indignus ſumere intendo, ſit peccatorum meorum remiſſio, ſit delictorum perfecta purgatio, ſit turpium cogita tionum effugatio, bonorumque ſenſuum regeneratio, operumque tibi placentium ſalubris efficacia, animæ quoque & corporis contra inimicorum meorum inſidias firmiſſima tuitio. Amen.

Oratio ad B. V. Mariam.

O Mater miſericordiæ Virgo Sanctiſſima, Mater Domini Noſtri Jesu Chriſti, quæ ex nimia humilitate Dilectiſſimum Filium tuum concipere, fovere & lactare meruiſti, cujus Sacroſanctum corpus & Sanguinem ego hodie quamvis indignus & peccator labiis pollutis, corde & conſcientiâ ſordidâ, ſuſcipere tamen

dignè desidero. Ad aures tuæ pietatis Misericordissima Mater, ex profundissimis cordis mei abyssis preces fundo humiliter deprecans, quatenus ipsum mihi placare digneris, ut remissis & deletis meis criminibus, gratiam suam Sanctissimam mihi largiri dignetur, & me custodire ab omni periculo & negligentia in hac Communione sui Sanctissimi corporis, & concedat mihi sic suum Sacrosanctum Corpus & Sanguinem suscipere, ut in extrema peregrinatione ipsum Viaticum obtinere merear in vitam æternam, Amen.

Tu quoque Seraphice Pater S. Francisce interveni pro me Filio tuo, quamvis indignissimo, & Vos SS. Patroni & Patronæ meæ *NN*. Omnesq; Sancti commendate misericordiæ Divinæ, meam vilitatem vestris meritis adornate, & omnem insufficientiam meam vestra supplete pietate.

Oratio cum jam accedit ad Altare.

Deus meus, Adjutor meus, protector meus, præparatio cordis mei, in te spes mea; fiducia mea & refugium, in toto diffidens de me, pro

pro tua promiſſione accedo ad te, ut communicatô corpore & ſanguine tuo, poſt remiſſionem peccatorum meorum, poſt fidei augmentum creſcam Membrum Myſtici Corporis tui in te & perſeverem usque in finem Vitæ meæ. Amen.

O Domine Jeſu Chriſte! ut intres ſub tectum cordis mei, dignus non ſum, Tibi tamen cognita indigentia mea eſt, ob id ſumme & ex animo præſentiam tuam expecto, ut tuo juſſu conſolatum confirmes me, dic ergo Verbum, & ſanabitur Anima mea. Amen.

O Domine; Jeſu Chriſte! Sacroſanctum corpus tuum, in quo pro me mortem paſſus es, & prætioſus ſanguis tuus, qui pro me eſfuſus eſt in remiſſionem peccatorum meorum, dimiſſis delictis meis conſervet, cuſtodiat & in Vitam perducat. Amen.

O Domine Jeſu Chriſte! Verbum Patris æterni, mundi ſalus, verus vivuſque Deus & Homo, ab omni malo per Sanctum corpus tuum libera nos, & reſumptis ex ejus paſtu viribus, mandata tua & Vota noſtra

adimpleamus, & tecum in æternum permaneamus. Amen.

ORATIONES

POST SS. COMMUNIONEM

Ardens Suſpirium

Anima Chriſti ſanctifica me! Corpus Chriſti ſalva me!

Sanguis Chriſti inebria me! Aqua lateris Chriſti lava me!

Paſſio Chriſti conforta me! o Bone Jeſu exaudi me!

Intra vulnera tua abſconde me! Et ne permittas me ſeparari a te!

Ab hoſte Maligno defende me! In hora mortis meæ voca me!

Et jube me venire ad Te, ut cum Sanctis tuis & Electis tuis laudem Te in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio S. Thomæ.

Gratias Tibi ago Domine, Sancte Pater, Omnipotens Æterne Deus, qui me peccatorem indignum famu-

lum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus es prætioso corpore Domini Nostri Jesu Christi. Et præcor, ut hæc Sancta Communio non sit mihi reatus ad pænam, sed intercessio salutaris ad veniam sit mihi, armatura fidei, & scutum bonæ Voluntatis, sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ ac libidinis exterminatio, Charitatis & patientiæ humilitatis, & obedientiæ, paupertatis & castitatis, temperantiæ & ferventis devotionis augmentatio, contra insidias inimicorum omnium tam visibilium, quam invisibilium, firma defensio. Motuum meorum tam Carnalium quam Spiritualium perfecta quietatio, in Te uno ac Vero Deo firma adhæsio, atque finis mei felix consummatio. Et præcor te ut ad illud ineflabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo, & Spiritu Sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas Plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, & felicitas perfecta.

Gra-

Oratio S. Bonaventuræ.

Transfige cor meum dulcissime Domine Jesu Christe, medullas & viscera animæ meæ svavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, verâ serenaque & Apostolicâ Sanctissimâ charitate, ut langveat & liquefiat anima mea solo semper amore & desiderio tui te concupiscat & deficiat in Atria tua, cupiat dissolvi & esse tecum. Da ut anima mea te esuriat Panem Angelorum, refectionem animarum Sanctarum! Panem nostrum quotidianum supersubstantialem habentem omnem dulcedinem & omne delectamentum svavitatis. Te in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat & comedat cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ, te semper sitiat fontem vitæ, fontem, sapientiæ & scientiæ & æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem Domûs Dei, te semper ambiat, semper quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem & gloriam Nominis tui, cum hu-

humilitate & discretione, cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perseverantia usque in finem, & tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, svavitas mea, odor meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, Sapientia mea, portio mea & possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa & firma & immobiliter semper sit radicata meus mea & cor meum, Amen.

Oratio ad B. V. Mariam.

Benedico te toto corde & animâ terra fructifera B. V. Maria, quia per Te hodie fructum vitæ communicavi, qui in hortu fæcundissimæ tuæ Virginitatis excrevit. Et commendo me tibi, ut pro me apud Filium tuum intercedas, & quacunque ratione in summi Sacramenti hujus sumptione deliqui, hujus negligentiæ & indignitatis meæ veniam impetres. Tu semper casta, pura, innocens permansisti. Utinam & ego tam Divini Sacramenti perceptione ita sancti-

ctificer, ut deinceps cor & corpus meum ab omni lethalis peccati macula tuear impollutum. Tu concepto Filio de Spiritu Sancto magnificas laudes Deo decantaſti, & in Deo ſalutari tuo mirabiliter exultaſti. O ſi tuis efficacibus precibus id aſſequar Virgo Mater! ut cum hac ſacra communione, novum & ardentem Spiritum concipiam, ac ſemper in gratiarum Actione piè verſer, tantoque Redemptori & hoſpiti me nunquam ingratum, ſed fidum in omnibus Miniſtrum oſtendam. Amen.

Oratio ad Sanctos Patronos.

O Sancte Angele Cuſtos, Fideliſſime! Ardentiſſime S. P. Franciſce! S. Antoni! S. Bonaventura! alijq; Sancti Patroni & Advocati mei, omineſq; Sancti & Sanctæ DEI, qui per mortalitatis pelagus ad portum felicitatis perveniſtis ſecuri de Vobis, per merita Veſtra humiliter precor, eſtote ſolliciti de Nobis periclitantibus, impetrate precibus veſtris, ut panis Euchariſticus ſit mihi, meiſq; robur in infirmitatibus, periculiſq; animæ & corporis, ut in fortitudi-

ne cibi hujus ambulemus, per mundi deſertum uſq; ad Montem DEI & patriam Cœleſtem, ubi copia ſine interruptione, gloria ſine invidia, Securitas ſine periculo, Vita ſine morte, bonum omne ſine fine, Amen.

Hic utiliter renovatur Profeſſio Religioſa, quæ ponitur in Appendice.

PRÆPARATIO
AD MISSAM.

Antiphona: Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel Parentum Noſtrorum, neque vindictam ſummas de peccatis Noſtris.

Pſal: 93.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea: exultaverunt in DEUM vivum.

Etenim paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus & DEUS meus.

Beati qui habitant in domo tuo Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum in loco, quem poſuit.

Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur DEUS deorum in Sion.

Domine DEUS virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Jacob.

Protector Noſter aſpice DEUS: Et reſpice in faciem Chriſti tui.

Quia melior eſt dies una in atriis ejus: Super millia.

Elegi abjectus eſſe in Domo DEI mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia miſericordiam & veritatem diligit DEUS: gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non Privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te.

Gloria Patri &c. *Pſalm*

Psal: 84.

Benedixisti Domine terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos DEUS salutaris Noster: & averte iram tuam a nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis, aut extendes iram tuam a generatione in generationem.

DEUS tu conversus vivificabis nos: Et plebs tua lætabitur in te

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus DEUS, quoniam loquetur pacem, in plebem suam.

Et super sanctos suos: Et in eos qui convertuntur ad cor.

Verum tamen prope timentes eum salutare ipsius, ut in habitet gloria in terra nostra

Misericordia & veritas obviaverunt sibi: justitia & pax osculatæ sunt.

Ve-

Veritas de terra orta eſt: Et juſtitia de cœlo proſpexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtitia ante ipſum ambulabit: & ponet in via greſſus ſuos.

Gloria Patri, &c.

Pſalm: 85.

Inclina Domine aurem tuam & exaudi me: quoniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtodi animam meam quoniam ſanctus ſum: Salvum fac ſervum tuum DEUS meus ſperantem in te.

Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die, lætifica animam ſervi tui: quoniam ad te animam meam levavi.

Quoniam tu Domine ſvavis & mitis: & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci depræcationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudiſti me.

Non

Non eſt ſimilis tui in dijs Domine: & non eſt ſecundum opera tua.

Omnes gentes quaſcunquè feciſti venient & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia; tu eſt DEUS ſolus.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: Et glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me: & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.

DEUS iniqui inſurrexerunt ſuper me, & ſynagoga potentium quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo.

Et tu Domine DEUS miſerator & miſericors: patiens, & multæ miſericordiæ & verax.

Reſpice in me & miſerere mei, da imperium tuum puero tuo: Et ſalvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confun-

fundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me.
Gloria Patri &c.

Psalm: 115.

Credidi propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.
Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.
Quid retribuam Domino: pro omnibus quæ retribuit mihi.
Calicem salutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.
Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: prætiosa in conspectu Domini Mors Sanctorum ejus.
O Domine quia ego servus tuus: Ego servus tuus & filius ancillæ tuæ.
Dirupisti vincula mea tibi sacrificabo, hostiam laudis: & nomen Domini invocabo.
Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: in atrijs Domus Domini, in medio tui Jerusalem. *Gloria Patri, &c.*

Psalm: 128.

De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem depræcationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine quis sustinebit.

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usquè ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud Eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri & Filio, &c.

Antiph: Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel Parentum Nostrorum, nequè Vindictam sumas de peccatis Nostris.

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.

Pa-

Pater noster, &c.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos a malo.*
℣. *Ego dixi Domine miserere mei.*
℟. *Sana animam meam quia peccavi tibi.*
℣. *Converte Domine aliquantulum.*
℟. *Et deprecare super servos tuos.*
℣. *Fiat misericordia tua Domine super nos.*
℟. *Quemadmodum speravimus in te.*
℣. *Sacerdotes tui induantur justitiam.*
℟. *Et sancti tui exultent.*
℣. *Ab ocultis meis munda me Domine.*
℟. *Et ab alienis parce servo tuo.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et Clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus Vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Aures tuæ pietatis Mitissime DEUS inclina Precibus Nostris, & gratiâ Sancti Spiritûs illumina cor nostrum, ut tuis mysterijs dignè ministrare, teque æternâ charitate diligere mereamur. DE

DEUS cui omne cor patet, & omnis Voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis Nostri, ut te perfectè diligere & digné laudare mereamur.

Ure igne Sancti Spiritûs renes nostros & cor Nostrum Domine, ut tibi casto corpore serviamus, & mundo corde placeamus.

Mentes Nostras quæsumus Domine Paraclitus qui a te procedit illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Ad sit Nobis quæsumus Domine Virtus Spiritus Sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis.

DEUS, qui corda fidelium Sancti Spititûs illustratione docuisti da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias Nostras quæsumus Domine visitando purifica, ut veniens Dominus Noster JESUS Christus Filius tuus, paratam sibi in Nobis inveniat Mansionem. Qui tecum vivit & regnat, &c.

In

Intentionis Formula.

Ad laudem & gloriam Sanctiſſimæ Trinitatis, in memoriam Salvatoris Noſtri JESU Chriſti, vitæ, paſſionis Mortis, ac Reſurrectionis, nec non in operum & meritorum ſuorum, Omniumq; Sanctorum unionem, ad laudem quoq; & exaltationem B. V. Mariæ, cæleſtium Angelorum, Sanctorum atq; Sanctarum & ſignanter NN. & aliorum Sanctorum Patronorum ac Devotorum meorum. Offero etiam cum ipſorum beatorum Spirituum laudibus Sanctorumq; omnium precibus & meritis, hoc & omnia alia Sacrificia, Officia, orationes, & bona opera totius mundi, pro meis præſentibus & futuris animæ & corporis Neceſſitatibus, in auxilium & conſolationem meam & remiſſionem omnium peccatorum meorum, quorum veram contritionem ſemper habeo, & habere intendo, conor & cupio, Omniumq: Vivorum & defunctorum meorum, Parentum, Conſangvineorum, Amicorum & benefactorum in ſpiritualibus & temporalibus ac illorum, quibus fui gravamen,

men, ſcandalum, & occaſio peccandi. Pro omni gradu Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ, ac illius converſatione, augmento & exaltatione, pro Chriſtianorum principum unione, Hæreſum extirpatione, Summi Pontificis ſalute, & animarum, quæ mei occaſione purgantur in purgatorio omniumq; in eo miſerrimè exiſtentium liberatione,ſed,et illius quam proximè (dum celebrabo) ſcis o DEUS! egreſſuram fore de purgatorio. Pro conſervatione & augmento omnium Religionum, & maximè Noſtræ. Pro converſione omnium hæreticorum & infidelium. Pro mihi commiſſis & commendatis. Deniq; pro illis omnibus vivis atq; defunctis, pro quibus Dominus Noſter JESUS Chriſtus & ejus Mater ſciunt & volunt me debere orare & ſacrificare: ſic oro, obſecro, ſacrifico, ac orare, obſecrare & ſacrificare intendo, ac propono, juxta intentionem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Ego miniſter licet indignus, In Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, Amen.

Gre-

Gregorius XIII. P. M. cuilibet Sacerdoti ſequentem orationem dicenti conceſſit 50. Annorum Indulgentiam.

Ego volo celebrare Miſſam, & conficere corpus & ſangvinem Domini Noſtri JESU Chriſti, juxta ritum S. Romanæ Eccleſiæ, ad laudem Omnipotentis DEI, totius curiæ Triumphantis, & ad utilitatem meam totiuſq; curiæ militantis, pro omnibus qui ſe commendaverunt orationibus meis in genere & in ſpecie, & pro felici Statu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, ſpatium veræ pænitentiæ, gratiam & conſolationem S. Spiritus, perſeverantiam in bonis operibus, tribuat Nobis Omnipotens & Miſericors Dominus, Amen.

Memento Domine, ſi Tibi placet Vivorum.

1. Mei, Parentum, Cognatorum, Fratrum, Sororum, & amicorum meorum omnium.

2.

2. Cætus Cardinalium, ac omnium Superiorum Ordinis, atq; Sacerdotum, & Sanctæ Ecclesiæ Ministrorum.
3. Omnium meæ curæ subjectorum tanquam Spiritu alium Filiorum, & omnium Fundatorum Patronorum, & Benefactorum Spiritu alium & temporalium.
4. Omnium Principum Christiano rum, Dominationum, & Rerumpublicarum temporalium.
5. Omnium peccantium, inimicorumq; meorum, atq; conversionis omnium hæreticorum & infidelium.
6. Et omnium pro quibus scis, & vis me debere orare.

Memento Domine, si Tibi placet Mortuorum.

1. Animarum Parentum, Fratrum, Sororum, Cognatorum, atq; Amicorum omnium.
2. Animarum omnium Benefactorum, tam Spiritualium, quam Corporalium.
3. Animarum omnium mihi in genere & in specie commissarum.

4. Animarum Prælatorum, Sacerdotum, & omnium Miniſtrorum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, DEI, & Apoſtolicæ.
5. Animarum morte improviſa corporibus exutarum, atq; earum, quarum non eſt ſpecialis Memoria.
6. Animarum, quæ mei occaſione in purgatorio purgantur, earum quoq; miſerrime in purgatorio exiſtentium.
7. Et earum omnium, pro quibus vis & ſcis me debere orare.

ALIÆ ORATIONES

Ante Miſſam pro Oportunitate Sacerdotis.

Oratio.

DEUS, qui de indignis dignos facis, & te peccatoribus juſtos, & de immundis mundos, munda cor meum, & corpus meum, ab omni contagio & ſorde peccati, & fac me dignum atq; ſtrenuum Sanctis Altaribus tuis Miniſtrum, concede propitius: ut in hoc altari, ad quod in di-

dignus acedo, hostias acceptabiles atq; placabiles offeram pietati tuæ pro peccatis & offensionibus meis, atq; cunctorum simul Christianorum culpis abluendis. Et per Eum sit tibi votum meum acceptabile, qui se tibi DEO Patri pro Nobis obtulit sacrificium. Qui vivit & regnat, &c.

Oratio ad B. V. Mariam.

O Mater pietatis & misericordiæ B. V. Maria! Ego miser & indignus peccator ad te confugio toto corde & affectu, & præcor tuam dulcissimam pietatem, ut sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti astitisti, ita & mihi misero peccatori, & sacerdotibus omnibus, hic & in tota Sancta Ecclesia offerentibus, hodie clementer assistere digneris, ut tua gratia adjuti, dignam & acceptabilem hostiam in conspectu summæ & individuæ Trinitatis offerre valeamus, Amen.

Oratio ad Sanctos Patronos.

Sancte Angele Custos meus Fidelis! Tuquè B. P. Francisce, vosq; Aman-

mantiſſimi Beati Patroni mei N*N*. Veſtra Sanctitate & puritate me adornate, ut hoc Sacroſanctum Sacrificium Miſſæ Sanctè & purè celebrare valeam. Per Chriſtum Dominum Noſtrum. Amen.

Oratio ad Sanctum cujus Feſtum celebratur.

O Sanctè N. Ecce ego miſer peccator de tuis meritis confiſus offero nunc ſacratiſſimum Sacramentum Corporis & ſangvinis Domini Noſtri JESU Chriſti pro DEI honore & gloria, & precor te humiliter ac devotè, ut pro me hodie intercedere digneris, quatenus tantum ſacrificium dignè ac meritoriè offerre valeam, Eumq; tecum & cum omnibus electis ejus æternaliter laudare, & cum eo regnare valeam, Amen.

ORATIO S. AMBROSII EPISCOPI.

Die Dominica.

Summe ſacerdos & vere Pontifex JESU Chriſte! qui te obtuliſti DEO Patri hoſtiam puram & immaculatam in ara crucis pro nobis miſe-

ſeris peccatoribus, & qui dediſti Nobis carnem tuam ad manducandum, & ſangvinem tuum ad bibendum, & poſuiſti myſterium iſtud in virtutes Spiritus S. tui dicens: Hæc quotieſcunq; faceritis, in mei commemorationem facietis. Rogo per eundem ſangvinem tuum magnum ſalutis Noſtræ prætium, rogo per hanc miram & ineffabilem charitatem, qua Nos miſeros & indignos ſic amare dignatus es, ut lavares Nos a peccatis Noſtris in ſangvine tuo, doce me ſervum tuum indignum, quem inter cætera dona tua etiam ad officium ſacerdotale vocare dignatus es; nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ, doce me, quæſo per Spiritum Sanctum tuum tantum tractare myſterium ea reverentia & honore, ea devotione & timore, quibus oportet & decet. Fac me per gratiam tuam ſuper illud de tanto myſterio credere & intelligere, ſentire & firmiter tenere dicere & cogitare, quod tibi placet & expedit animæ meæ. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui ſonet ibi ſi-

ne ſono, & ſine ſtrepitu verborum loquatur omnem veritatem, profunda quippe ſunt nimis & ſacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Miſſarum ſolemnia mundo corde, & pura mente celebrare. Libera cor meum ab in mundis & nefandis & noxijs cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum piâ & fidâ cuſtodiâ, ac tutellâ fortiſſimâ. ut hoſtes omnium bonorum confuſi diſcedant. Per virtutem tanti Myſterij, & per manum S. Angeli tui repelle a me & a cunctis ſervis tuis duriſſimum Spiritum ſuperbiæ & cenodoxiæ, invidiæ & blaſphemiæ, fornicationis & immunditiæ, dubietatis & diffidentiæ confundantur, qui nos perſequuntur, pereant illi, qui nos perdere feſtinant.

Feria ſecunda

Rex Virginum & amator caſtitatis & integritatis, cæleſti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor caſtitatis corporis & animæ. Mortifica in mem-

bris

bris meis carnis stimulos, omnesque libidinosas commotiones, & da mihi veram & perpetuam castitatem cum cæteris donis tuis, quæ tibi placent in veritate, ut sacrificium laudis casto corpore, & mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione & lachrimarum fonte quanta reverentia & tremore, quanta corporis castitate, & animæ puritate istud Divinum & cæleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima summis, terrena Divinis junguntur, ubi adest Sanctorum Angelorum præsentia, ubi tu es sacrificium & sacerdos Mirabiliter & ineffabiliter constitutus.

Feria tertia.

Quis digne hoc celebrare poterit, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum. Scio Domine & verè scio, & id ipsum pietati tuæ confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum Mysterium, propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas, sed scio, &

veraciter ex toto corde meo credo, & ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, & de peccatoribus justos & Sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc sacrificium celebrare cum timore & tremore, cum cordis puritate, & lachrymarum fonte, cum lætitia spirituali, & cælesti gaudio, sentiat mens mea dulcedinem Beatissimæ præsentiæ tuæ, & excubias Sanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

Feria quarta.

Ego enim Domine, memor venerandæ passionis tuæ, accedo ad altare tuum licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, & offerri præcepisti, in commemorationem tui pro salute nostra. Suscipe illud quæso summe Deus pro Ecclesia Sancta tua & pro populo, quem acquisisti sanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te & eundem populum tuum medium esse voluisti, licet in me aliquod boni

operis

operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis creditæ non recuses, nec per me indignum, eorum salutis pereat prætium pro quibus victima salutaris dignatus es esse redemptio. Profero etiam Domine, si digneris propitius intueri tribulationes, plebium pericula, populorum captivorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes langventium, defectus sensuum, suspiria juvenum, Vota Virginum, lamenta viduarum.

Feria quinta.

Tu enim misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum, quæ fecisti: Memorare quæ Nostra Substantia, quia tu Pater noster, quia tu Deus noster es, ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super Nos contineas. Non enim in justificationibus Nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer a Nobis iniquitates Nostras, & ignem S. Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum

de

de carne noſtra, & da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectur, te ſequatur, te perfruatur. Oramus Domine Clementiam tuam, tu ſerenó vultu familiam tuam Sacri tui Nominis Officia præſtolantem aſpicere digneris, ut nullius ſit irritum votum, nullius vacua poſtulatio, tu nobis preces ſuggere, quas ipſe propitius audire & exaudire delecteris.

Feria ſexta.

Rogamus etiam te Domine Sancte Pater & pro ſpiritibus Fidelium defunctorum, ut ſit illis ſalus, ſanitas, gaudium & refrigerium, hoc magnum pietatis Sacramentum. Domine Deus meus ſit illis hodie magnum & plenum convivium de te Pane vivo, qui de cælo deſcendiſti, & das vitam mundo, de tua carne Sancta & benedicta, Agni videlicet immaculati; qui tollit peccata mundi, quæ de Sancto & glorioſo B. V. Mariæ utero eſt aſſumpta, & de ſpiritu Sancto concepta, ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo ſacratiſſimo latere emanavit,

navit, ut exinde refecti & satiati, refrigerati, & consolati exultent in laude & gloria tua. Peto clementiam tuam Domine, ut descendat super Panem tibi sacrificandum plenitudo tuæ benedictionis & sanctificatio tuæ Divinitatis. Descendat etiam Domine illa S. Spiritus tui invisibilis, incompræhensibi-isque Maiestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat, qui & oblationes Nostras Corpus & sanguinem tuum efficiat, & me indignum Sacerdotem doceat tantum tractare Mysterium cum cordis puritate, & lachrymarum devotione, cum reverentia & tremore ita ut placide ac benigne suscipias Sacrificium de manibus meis ad salutem omnium tam vivorum, quam Defunctornm.

Sabatho.

Rogo etiam te Domine per ipsum sacrosanctum mysterium Corporis & sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur & potamur, abluimur & sanctificamur, atque unius summæ Divinitatis participes efficiamur, da mihi virtutes tuas Sanctas,

qui-

quibus repletus bonâ conſcientiâ ad altare tuum accedam. ita ut hæc cæleſtia Sacramenta efficiantur mihi ſalus & vita. Tu enim dixiſti ore tuo Sancto & benedicto Panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro Mundi vita. Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis Dulciſſime ſana palatum cordis mei, ut ſentiam ſvavitatem Amoris tui, ſana illud ab omni langvore, ut nullam præter te ſentiam dulcedinem. Panis candidiſſime habens omne delectamentum & omnem ſaporem, qui nos ſemper reficis, & nunquam in te deficis, comedat te cor meum, & dulcedine ſaporis tui repleantur viſcera animæ meæ. Manducat te Angelus ore pleno, manducet te peregrinus homo pro modulo ſuo, ne deficere poſſit in via tali recreatus viatico, Panis Sancte, Panis Vive, Panis munde, qui deſcendiſti de cælo, & das vitam mundo, veni in cor meum, & munda me ab omni inquinamento carnis & ſpiritus. Intra in animam me-

am,

am, ſana & munda me interius & exterius. Eſto tutamen & continua ſalus animæ & corporis mei. Repelle a me inſidiantes mihi hoſtes, recedant procul a potentia præſentiæ tuæ, ut foris & intus per te munitus, rectô tramite ad tuum regnum perveniam, ubi non in myſteriis, ſicut in hoc tempore agitur, ſed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris Regnum Deo & Patri, & erit Deus omnia in omnibus, Tunc enim me de Te ſatiabis ſatietate mirifica, ita ut nec eſuriam, nec ſitiam in æternum. Qui cum Deo Patre &c.

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM.

Antiph: Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant Sancti in Camino ignis, benedicentes Dominum.

Canticum trium puerorum.

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & ſuper exaltate eum in ſæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: Benedicite cæli Domimo.

Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt Domino: Benedicite omnes Virtutes Domini Domino.

Benedicite ſol & luna Domino: benedicite ſtellæ cæli Domino.

Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnes ſpiritus Dei Domino.

Benedicite ignis & æſtus Domino: benedicite frigus & æſtus Domino.

Benedicite rores & pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & nives Domino: benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite montes & colles Domino: benedicite univerſa germinantia in terra Domino.

Bene-

Benedicite fontes Domino: benedicite Maria & flumina Domino.

Benedicite cete & omnia quæ moventur in aquis Domino: Benedicite omnes Volucres cæli Domino.

Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino; benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum; laudet & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus & animæ justorum Domino: benedicite Sancti & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Missael Domino: laudate est superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu: laudemus & superexaltemus Eum in sæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cæli: & laudadilis, & gloriosus & superexaltatus in sæcula.

Psalmus 150.

Laudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus. Lau-

Laudate Eum in Virtutibus ejus: laudate eum ſecundum multitudinem Magnitudinis ejus.

Laudate Eum in ſono tubæ: laudate Eum in pſalterio & cithara.

Laudate Eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo.

Laudate Eum in cymbalis bene ſonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis omnis ſpiritus laudet Dominum. *Gloria Patri &c.*

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon Kyrye eleyſon.

Pater Noſter &c.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos à malo.*
℣. *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.*
℟. *Et Sancti tui benedicant tibi.*
℣. *Exultabunt Sancti in gloria.*
℟. *Lœtabuntur in cubilibus ſuis.*
℣. *Non Nobis Domine non Nobis.*
℟. *Sed Nomini tuo da gloriam.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus Vobiscum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.* Ore-

Oremus.

DEUS qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius: ut Nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones Nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta Nostra Oratio & operatio, a te semper incipiat, & per Te cepta finiatur.

Da Nobis quæsumus Domine Vitiorum Nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio Martyri tuo tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Dominum Nostrum. Amen.

Suspirium post Missam.

Anima Christi sanctifica me!
Corpus Christi salva me!
Sanguis Christi inebria me!
Aqua lateris Christi munda me!
Passio Christi conforta me!
O Bone Jesu exaudi me!
Intra vulnera tua absconde me!
Et ne permittas me seperari a te!
Ab Hoste maligno defende me!
In hora mortis meæ voca me!

Et

Et pone me juxta te!
Ut cum Angelis tuis laudem te!
In Sæcula sæculorum. Amen.

Oratio S. Thomæ Aquinatis.

Gratias tibi ago Domine piissime, quod me ad Officium sacerdotale elegisti, gratias tibi ago Dulcissime Deus, quod me dulcissimo corpore & sanguine tuo refecisti, gratias tibi ago Clementissime, pro devotione, qua me in hac Missa specialiter respexisti gratias tibi ago benignissime Domine, quod me protegendo a periculosis negligentiis custodisti. Ecce Domine Deus pro gratissima electione, pro dulcissima refectione, pro tam piissima respectione & custodia tibi Domine Deus meus ex toto corde gratias ago, te benedico, te glorifico in æternum. Eja oro nunc piissime Domine Deus, ut sit mihi hoc dulcissimum Sacramentum contra omnium peccatorum meorum Vulnera efficacissimum medicamentum, sit mihi benignissime Deus hoc prætiosissimum Sacramentum gratiæ tuæ ac virtutis augmentum,

sit

ſit mihi piiſſime Deus hoc amæniſſimum Sacramentum contra omnia pericula tam in hac vita, quam in Morte validiſſimum tutamentum, atq; ad æternam beatitudinem ſolidiſſimum fulcimentum. Omnipotens Domine Deus per ſumptam quæſo Euchariſtiam da mihi ut a peccatis emundatus, fine bono conſummatus, te cum in perpetuum ſim beatus. Amen.

Oratio

S. Bonaventuræ.

Transfige Dulciſſime Domine JESU medullas & viſcera animæ meæ ſvaviſſimo ac ſaluberrimo amoris tui vulnere, vera ſeranaq; & Apoſtolica ſanctiſſima charitate, ut langveat & liquefiat anima mea ſolo ſemper amore & deſiderio tui, te concupiſcat & deficiat in Atria tua, cupiat diſſolvi, & eſſe tecum. Da ut Anima mea te eſuriat panem Angelorum, refectionem Animarum Sanctarum, panem noſtrum quotidianum ſuperſubſtantialem, habentem omnem dulcedinem & ſaporem, & omne delectamentum ſvavitatis. Te

in

in quem desiderant Angeli prospicere, semper esúriet & comedat cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ: te semper sitiat fontem vitæ, fontem sapientiæ & scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem Voluptatis, Ubertatem Domus DEI: te semper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem & gloriam Nominis tui, cum humilitate & discretione, cum dilectione, & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perseverantia usq; in finem, & tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea jucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, svavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum auxilium meum, Sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa & firma, & inmmobiliter semper sit radicata Mens mea & cor meum, Amen.

Ora-

Oratio ad B. V. Mariam.

O Beatissima & dulcissima Virgo Maria, Mater Domini Nostri Jesu Christi cujus idem veracissimum corpus & sanguinem. Ego miser & indignus peccator sumere præsumpsi, præcor te humiliter & devote, ut ad ipsum pro me intercedere digneris, ut quidquid in hoc Sanctissimo Sacramento ignoranter & negligenter commisi præcipuè defectu veræ fidei charitatis, devotionis, attentionis, & reverentiæ mihi sua pietate inflabili & misericordia inarrabili, tuis sanctis meritis & precibus indulgere dignetur. Amen.

Plura assume ex pag. 43. *&* 44.

Quinquè puncta ante vel post Missam Facienda.

I. Detestor & abominor omnia & singula peccata mea, & omnium aliorum commissa ab initio Mundi, usque in hanc horam, & deinceps usque ad finem Mundi committenda, & si possem impedirem per gratiam Dei, quam ideò supplex invoco.

II.

II. Laudo & approbo omnia opera bona facta a principio Mundi usq; in hanc horam & deinceps usq; in finem Mundi facienda, & si possem, ea multiplicarem, per gratiam Dei, quam supplex invoco.

III. Intendo omnia facere, dicere, & cogitare ad Majorem Dei gloriam cum omnibus illis bonis intentionibus, quas Sancti unquam habuerunt, vel habebunt, vel habere possunt.

IV. Ignosco & dimitto ex toto corde meo omnibus Inimicis meis, omnibus me calumniantibus, omnibus mihi detrahentibus, omnibus quocunque modo mihi nocentibus vel volentibus mala.

V. Utinam omnes homines salvare possem moriendo pro singulis, libenter id facerem, per gratiam Dei, quam propterea suppliciter imploro, & sine qua nihil possum.

PRA-

PRAXIS.

AUDIENDI MISSAM.

Per quatuor partes.

IN PRÆPARATIONE. 1. Cum Sacerdos indutus veſtimentis inſignia paſſionis Chriſti repræſentantibus accedit ad altare, cogita Filium Dei de ſinu Patris deſcendere pro redemptione generis humani, elice actum Contritionis de peccatis.

2. *Ad introitum & Gloria in excelſis,* recordare Myſterii Nativitatis Chriſti cum aliis circumſtantiis. Et elice actus gratiarum actionis & adorationis.

3. *Ad Collectas,* recogita Vitam Chriſti Activam, & contemplativam ad Annum trigeſimum. Elice actus proportionatos rei, ſimulquè pete Veram imitationem Vitæ Chriſti.

IN OBLATIONE 1. *Ad Offertorium panis & vini,* expende Chriſtum Dominum omnes ſuæ prædicationis labores, ſeq; totum pro te Deo Patri

Patri offerentem. Elice actum tum oblationis, quo unà cum Christo offeras omnes cogitationes, verba, opera & tribulationes, tum confusionis, quod pro illo pati subterfugias.

2. *Ad præfationem*, recole humilem Christi triumphum in ingressu die Palmarum in Jerusalem. Elice actus reverentiæ & gratulationis.

3. *Ad Canonem* Admirare profundam Christi humilitatem, silentium & varias injurias patientissimè toleratas petendo, ut tibi similes virtutes conferre dignetur.

4. *Ad memento vivorum*. Commenda Deo per merita vitæ & mortis Christi te ipsum, tibi commendatos, Ecclesiam, Summum Pontificem, cum omni Clero, Imperatorem, Regem cum omnibus Principibus, Parentes & consanguineos, Benefactores, Inimicos afflictos in corpore & anima, peccatores ut convertantur.

5. Ad verba *Hanc igitur* considera damnationem Christi coram Pilato ad Mortem, Elice Actum Compassionis.

6.

6. *Ad Elevationem hostiæ & calicis.* Intuere Christum Crucifixum, Elevatum, ac demissum in terram. Elice actum fidei, spei, charitatis & adorationis.
7. *Ad memento Defunctorum.* Commenda Deo in vulneribus Christi fideles Defunctos NN.
8. Ad verba: *Nobis quoque.* Audi latronem pænitentem, & Christum paradisum promitentem. Elice actus contritionis & fiduciæ de obtinenda venia.
9. *Ad Cruces supra calicem.* Expende Christi dolores per tres horas in cruce pendentis. Elice Actus Compassionis, doloris &c.

IN COMMUNIONE. Præpara te ad spiritualem Communionem. Et

1. *Ad orationem Dominicam.* Considerabis Christum in cruce pendentem, reliqua verba proferentem, & exerce proportionatos illis actus.
2. *Ad pax Domini & Agnus.* Cogita Christi resurrectionem, & Elice actus gaudii, gratulationis &c.
3. *Ad Domine non sum Dignus.* Agnosce triplicem tuam indignita-

tem

tem nempe: propter multitudinem & gravitatem peccatorum, propter ingratitudinem pro tot beneficiis, propter abyssum tuarum miseriarum.

4. *Ad Communionem Sacerdotis.* Elice actus fidei de vera præsentia Christi in Eucharistia, spei de remissione peccatorum, Charitatis, de bonitate illius, Desiderii, uniendi te cum Christo intime per sumptionem Spiritualem corporis ejus, sicquè sumptum Christum Dominum offer Deo Patri in recognitionem beneficiorum naturæ, gratiæ gloriæ, petens ab eo necessaria tibi & aliis.

IN GRATIARUM ACTIONE Post Communionem 1. *Ad Collectas* petè simul cum Sacerdote, ea, quæ in illis continentur.

2. *Ad Ita Missa est* & benedictionem. Cogitá Christum in cælos ascendentem, & discipulis benedictionem impertientem.

3. *Ad Evangelium S. Joannis.* Expende quomodo relictis Judæis prædicatio Evangelii ad Gentes tran-

transſierit. Elice actus gratiarum actionis, & offer totum Sacrificium Deo Patri in adorationem illius infinitæ Majeſtatis, in gratiarum Actionem pro beneficiis per Chriſtum tibi, & Univerſo Mundo collatis, pro impetranda venia, gratia, gloria, tibi & aliis,

LITANIÆ

De Nomine JESU.

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.

Chriſte audi nos, Chriſte exaudi Nos.

Pater de Cælis DEUS.
Fili Redemptor mundi DEUS.
Spiritus Sancte DEUS.
Sancta Trinitas unus DEUS.
JESU Fili DEI vivi.
JESU Potentiſſime.
JESU Fortiſſime.
JESU Perfectiſſime.
JESU Glorioſiſſime.
JESU Mirifice.
JESU Jucundiſſime.

Miſerere Nobis.

JE-

JESU Chariſſime.
JESU Pulchrior lunâ.
JESU Splendidior Stellis.
JESU Delectabilis.
JESU Admirabilis.
JESU Honorabilis.
JESU Humillime.
JESU Pauperrime.
JESU Mitiſſime.
JESU Patientiſſime.
JESU Obedientiſſime.
JESU Caſtiſſime.
JESU Amator Caſtitatis.
JESU Amator pacis.
JESU Amator Noſter.
JESU Speculum vitæ.
JESU Exemplar virtutum.
JESU Decus Morum.
JESU Zelator animarum.
JESU Refugium Noſtrum.
JESU Pater Pauperum.
JESU Conſolator Afflictorum.
JESU Theſaurus fidelium.
JESU Gemma prætioſa.
JESU Armarium perfectionis.
JESU Bone Paſtor Ovium.
JESU Stella Maris.
JESU Lux vera.
JESU Sapientia æterna.

Miſerere Nobis. Miſerere Nobis. Miſerere Nobis.

JESU Bonitas infinita.
JESU Gaudium Angelorum.
JESU Rex Patriarcharum.
JESU Infpirator Prophetarum.
JESU Magifter Apoftolorum.
JESU Doctor Evangeliftarum.
JESU Fortitudo Martyrum.
JESU Lumen Confefforum.
JESU Sponfe Virginum.
JESU Corona Sanctorum omnium.

Miferere Nobis.

Propitius efto. Parce nobis JESU.
Propitius efto. Exaudi nos JESU.

Ab omni malo.
Ab ira tua.
Ab infidijs diaboli.
A pefte, fame & bello.
A transgreffione mandatorum tuorum.
Ab incurfu Omnium malorum.
Per Incarnationem tuam.
Per Adventum tuum.
Per Nativitatem tuam.
Per Circumcifionem tuam.
Per labores tuos.
Per Dolores tuos.
Per flagella tua.
Per Mortem tuam.
Per Refurrectionem tuam.

Libera nos JESU.

Per Aſcenſionem tuam.
Per Gaudia tua.
Per Gloriam tuam.
Per dulciſſimam Virginem Matrem tuam. Liberanos JESU.
Per interceſſionem omnium Sanctorum tuorum. Libera nos JESU.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Parce nobis JESU.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Exaudi nos JESU.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Miſerere nobis JESU.
JESU audi nos. JESU exaudinos.
Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon.
Pater Noſter, &c. Ave Maria. &c.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & uſq; in ſæculum.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne DEUS dirige actus Noſtros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti filij tui mereamur bonis operibus abundare.

DEUS virtutum cujus eſt totum, quod eſt optimum, inſere pectoribus noſtris amorem tui Nominis, & præſta

ſta in bonis Religionis augmentum, ut quæ ſunt bona nutrias, ac pietatis ſtudio, quæ ſunt nutrita cnſtodias. Qui vivis & regnas, &c.

Jubilum S. Bernardi de Nomine JESU.

JESU dulcis Memoria!
Dans vera cordis gaudia.
Sed ſuper mel & omnia!
Ejus Dulcis præſentia.
Nil canitur ſvavius!
Auditur nil jucundius.
Nil cogitatur dulcius!
Quam JESUS DEI Filius.
JESU ſpes pænitentibus!
Qum pius es petentibus.
Quam bonus te quærentibus,
Sed quid invenientibus.
JESU Dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium.
Excedens omne gaudinm,
Et omne deſiderium.
Nec lingva valet dicere?
Nec litera exprimere,
Expertus poteſt credere!
Quid ſit JESUM diligere.

JE-

JESUM quæram in lectulo!
  Clauſo cordis cubiculo.
Privatim & in publico!
  Quæram amore ſedulo.
Cum Maria diluculo!
  JESUM quæram in tumulo.
Clamore cordis quærulo!
  Mente quæram non oculo.
Tumbam perfundam fletibus!
  Locum replens gemitibus.
JESU provolvar pedibus!
  Strictis hærens amplexibus.
JESU Rex admirabilis!
  Et triumphator Nobilis,
Dulcedo ineffabilis!
  Totus deſiderabilis.
Mane Nobiſcum Domine!
  Et nos illuſtra lumine.
Pulſa Mentis caligine!
  Mundum replens dulcedine.

Orationes pro periculis avertendis.

Pſalmus 53.

DEUS in nomine tuo ſalvum me fac: Et in virtute tua judica me
DEUS exaudi orationem meam: Auribus percipe verba oris mei.
Quoniam alieni inſurrexerunt adverſum

ſum me, & fortes quæſierunt animam meam: Et non propoſuerunt DEUM ante conſpectum ſuum.

Ecce enim DEUS adjuvat me. Et Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.

Averte mala Inimicis meis: Et in veritate tua diſperde illos.

Voluntarie ſacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum.

Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me: Et ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus. *Gloria Patri & Filio, &c.*

℣. *Omnis qui, invocaverit nomen Domini.*

℟. *Salvus erit.*

℣. *Exurge Domine adjuva nos.*

℟. *Et libera nos propter Nomen tuum.*

℣. *Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo.*

℟. *Multum eſt enim.*

℣. *Propter gloriam nominis tui libera nos.*

℟. *Et propitius eſto peccatis Noſtris propter nomen tuum.*

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* ℟.

℟. *Qui fecit Cœlum & terram.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et Clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Sancti Nominis tui Domine timorem pariter ac amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tuâ gubernatione deſtituis, quos in ſoliditate tuæ dilectionis inſtituis,

DEUS virtutum cujus eſt totum, quod eſt optimum, in ſere pectoribus noſtris amorem tui Nominis, & præſta in bobis religionis augmentum, ut quæ ſunt bona nutrias, ac pietatis ſtudio, quæ ſunt nutrita cuſtodias.

DEUS, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, te ſuplices exo ramus, ut noxia cuncta ſubmoveas, & omnia in nobis profutura concedas.

DEUS refugium Noſtrum & virtus, adeſto pijs Eccleſiæ tuæ precibus, auctor ipſe pietatis & præſta, ut quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur.

DE-

DEUS, qui nos in tantis periculis constitutos, pro humana scis fragilitate non posse subsistere, da nobis salutem mentis & corporis, ut ea, quæ pro peccatis Nostris patimur, te adjuvante vincamus. Per Dominum nostrum, &c.

SALUTATIO

Membrorum Christi Domini.

Salve tremendum cunctis potestatibus Caput, Domini JESU Christi Salvatoris Nostri, pro nobis spinis coronatum, & arundine percussum.

Salve speciosissima salvatoris Nostri JESU Christi Facies, pro nobis sputis & alapis cæsa.

Salvete benignissimi Domini JESU Christi Salvatoris Nostri Oculi, pro nobis lachrymis perfusi.

Salve mellifluum Os gutturq; suavissimum Domini Nostri JESU Christi pro Nobis felle & aceto potatum.

Salvete Aures Nobilissimæ Domini JESU Cristi Salvatoris Nostri, pro nobis contumellijs & opprobrijs affectæ.

Salve Collum humile JESU Christi pro nobis colaphizatum, dorſumq; ſanctiſſimum pro nobis flagellatum.

Salvete venerabiles Domini Noſtri JESU Chriſti Manus & brachia pro nobis in cruce extenſa.

Salve Pectus Mitiſſimum Domini JESU Chriſti Salvatoris Noſtri, pro nobis in paſſione conturbatum.

Salve Latus glorioſiſſimum Domini Noſtri JESU Chriſti pro Nobis lancea militis perforatum.

Salvete Domini JESU Chriſti Salvatoris Noſtri ſacra miſericordiæ genua, pro nobis in orationibus flexa.

Salvete Domini JESU Chriſti Salvatoris Noſtri pedes adorandi pro nobis clavis affixi.

Salve corpus totum JESU Chriſti pro nobis in cruce ſuſpenſum vulneratum, mortuum, & ſepultum.

Salve Sangvis prætioſiſſime de corpore Domini JESU Chriſti Salvatoris Noſtri pro nobis effuſe.

Salve Sanctiſſima Domini Noſtri JESU Chriſti Anima, in manus Patris commendata.

In eadem commendatione tibi commen-

mendo hodie & quotidie animam meam, vitam meam, cor & corpus meum, omnes ſenſus & actus meos, omnes amicos, benefactores propinquos, conſangvineos meos, & animas Parentum, Fratrum, Sororum, ac inimicorum, meorum, ut nos protegere, liberare & defendere digneris, ab omnibus inſidiis inimicorum Noſtrorum, viſibilium & inviſibilium. Nunc & in perpetuum, Amen.

CORONA

SEPTEM GAUDIORUM B. V. MARIÆ.

Cum indulgentia plenaria omnibus Ordinis S. Franciſci Perſonis toties, quoties recitaverint conceſſa à Leone X. *&* *confirmata* à Paulo V. 8. *Junij* 1608. Vid. Ferariſs. *de Indulgen:* *Art.* 5. N. 10.

Corona hœc vocatur etiam *Roſarium Franciſcanum* ex eo quod quidam Iuvenis ingreſſus Ordinem S.Franciſci è roſis alijſq; floribus contextâ co-

 rol-

rollâ Statuam Dei paræ decorare ſolebat. Cum autem legendis floribus & huic proſequendæ pietati non adeo liceret in Noviciatu attendere, tædio affectus conſtituit ad ſæculum redire. Diſceſsurus B. Virginem pro more ſalutavit & patrocinium popoſcit, cui illa apparens dixit· *Docebo quomodo in aliud præclarum opus convertas ſtudium, & coronam mihi compingas, ſerto illo de roſis conſerio longe pulchriorem, profer decies Salutationem Angelicam, & ſemel Orationem Dominicam in memoriam gaudiorum.* Obſecutus Adoleſcens, firmatuſq; in propoſito, qua potuit devotione, recitare cæpit præſcriptam precum formulam. Hunc Roſarij in Ordine Franciſcano applicari ſolitum uſum, & in Univerſam Eccleſiam extenſum, adſcribit S. Joannes Capiſtranus Ven: Jacobo *de Coronis* dicto. *Vid. Vading: fol:* 149. *Menelog: Mag: Seraph: fol:* 2191. *& Annal: Pol: Ordin: p.* 3. *L.* 1, *C.* 14. *fol:* 32.

MO-

MODUS
DICENDI CORONAM
Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

℣. Dignare me laudare te virgo ſacrata.

℟. Da mihi Virtutem contra hoſtes tuos.

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, qui per diverſitatem lingvarum cunctarum gentes in Unitatem fidei congregaſti.

℣. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur.*

℟. *Et renovabis faciem terræ.*

Oremus.

DEUS, qui corda Fidelium S. Spiritus illuſtratione docuiſti da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum Noſtrum, &c.

Dices ter Pater Noſter, &c. Ave Maria &c.

In

In gratiarum actionem Sanctissimæ Trinitati.

1. Pro beneficio Creationis.
2. Pro beneficio Redemptionis.
3. Pro beneficio Vocationis ad S. Fidem.

In Majoribus globis dices Pater Noster &c. & Orationem sequentem.

O Dulcissime Domine JESU Christe rogo te per effusionem prætiosissimi Sangvinis tui, quem pro me effundere dignatus es.

1. *In Circumcisione.* Libera me a peccato luxuriæ & da mihi virtutem castitatis, illaq; bona, quæ scis esse necessaria. Qui vivis, &c.
2. *In Sangvineo sudore.* Libera me a peccato acediæ, & da mihi virtutem devotionis, *ilaq; bona* &c. *ut supra.*
3, *In Flagellatione.* Libera me a peccato gulæ, & da mihi virtutem temperantiæ, *illaq; bona &c.*
4. *In Spinea Coronatione.* Libera me a peccato superbiæ, & da mihi virtutem humilitatis, *illaq; bona &c.*

5. *In Veſtium Spoliatione.* Libera me a peccato avaritiæ, & da mihi virtutem liberalitatis, *illaq; bona &c.*
6. *In Crucifixione.* Libera me a peccato iræ, & da mihi virtutem patientiæ, *illaq; bona &c.*
7. *In lateris transfixione.* Libera me a peccato invidiæ, & damihi Virtutem Charitatis, *illaq; bona, &c.*

In Minoribus dices 10, *Ave Maria, & Orationem ſequentem.*

1. *In annuntiatione.* Fili tui Domini Noſtri, impetra mihi ab eodem Filio tuo remiſſionem peccatorum meorum, progreſſum & perſeverantiam in Virtutibus, perpetuam mentis & corporis ſanitatem felicem Mortem, & animabus fidelium defunctorum requiem æternam, Amen.
2. *In Viſitatione.* S. Eliſabethæ cum Filio tuo Domino Noſtro, *impetra mihi ab eodem &c. ut ſupra.*
3. *In partu Virgineo.* Filij tui Domini Noſtri, *impetra mihi &c.*

4. *In adoratione* à Tribus Regibus Filij tui Domini Noſtri, *impetra &c.*
5. *In præſentatione* In Templo Filij tui Domini Noſtri, *impetra mihi, &c.*
6. *In Inventione* Filii tui Domini Noſtri, *impetra mihi, &c.*
7. *In Aſſumptione* tua in Cælos & Coronatione a Filio tuo Domino Noſtro, *impetra mihi &c.*

In Fine ultimæ decadis adde 2, Ave Maria, in Memoriam 72. Annorum B. V. Mariæ, quibus vixiſſe probabilius eſt. Tandem dic 1. *Pater &* 1. *Ave* pro ſummo Pontifice & *Credo* & unam ex Antiphonis, *Salve Regina*, *Regina cæli*, *&c.* pro ratione temporis.

C O R O N A

Beatiſſimæ Virginis Mariæ 12. *Stellarum.*

Id eſt Excellentiarum quibus omnibus Sanctis in Cælo præfulget eminentior a Sancto Joanne Apocalip. 12. *viſa. Pro hac Corona recitanda*

da & conservanda V. P. Fr. Raphaël de Lgota Anno Domini 1521. *impetravit à Leone X. Fratribus Minorum de Observantia* 12. *Millia Annorum, toties, quoties ea intentione I. pro Reverentia Virginis. II. pro Summo Pontifice. III. pro Universali Ecclesia recitaverint.*

Oratio ante Coronam.

O Excellentissima & Dignissima semper Virgo Mater Domini Nostri JESU Christi, Regina Mundi post DEUM potentissima, Sapientissima & Clementissima Mater & advocata Nostra, quæ nullum despicis licet fædissimum peccatorem, sed omnibus sinum misericordiæ aperis, quicunq; ad te contrito corde, humili & sincero recurrerint, digneris nunc inclinare aures tuæ pietatis, indignis supplicationibus Nostris, nam omnia potes dare & impetrare; Et recole o Mater misericordiæ ad hoc tibi datum, & de Virgineo, corde tuo Incarnatus in ex haustum fontem misericordiæ, tibiquè commissum mu-

munus miſerendi, ut omnibus miſeris miſeriam ſuam coram te confitentibus, & miſericordiam tuam poſtulantibus, miſericorditer gratiam obtineas, multitudinemq; peccatorum ac defectuum Noſtrorum charitate tua operias. Deprӕcor ergo Te indignus, ut in ſupplementum indulgentiarum Noſtrarum digneris orationes Noſtras tuis puriſſimis laudibus unitas, in commemoratione Virtutum & Excellentiarum tuarum, quibus Te ipſi Altiſſimo Domino ſuper omnes complacere recognoſcimus offerre, meq; recolentem eas ad Gloriam DEI, & honorem tuum, ac ſalutem & pacem eorum, pro quibus tenemur vel intendimus, ut Tu vis nos orare, digneris juxta Divinum beneplacitum, & tuam liberalem Munificentiam earundem participem facere. *Pater Noſter* 1.

Prima Stella
Prӕelectӕ prӕdeſtinationis.

Ave per cor JESU prӕdilecti Filij tui candidiſſimum lilium fulgidӕ ſemperq; tranquillӕ Trinitatis,

ſpe-

ſpecioſiſſima Maria, ab æterno in Filiam DEI Patris prædeſtinata, in Matrem DEI Filij præelecta, & in Sponſam Spiritus Sancti prædilecta, gratiâ plena &c. O certa poſt Unigenitum ſalus Fidelium, ora Filium tuum, ut me quoquè prædeſtinatum ab æterno dignetur eligere, & Nomen in libro vitæ meum ſcribere, Amen.

Secunda Stella
Singularis præſervationis

Ave per cor Jesu prædilecti Filii tui vernans roſa cæleſtis amænitatis puriſſima Maria! ab omni prorſus labe peccati ſingulari privilegio præſervata, gratiá plena, Dominus tecum, benedicta &c. Ora pro me ſpes mea, ut nos dignetur Dilectus Natus tuus ab omnibus peccatis Mortalibus ad gloriam Nominis ſui ſemper præſervare. Amen.

Tertia Stella
Summæ Dilectionis.

Ave per cor Jeſu prædilecti Filii tui Ancilla Domini ſolitaria Altiſ-

ſimæ

ſimæ Trinitati ſuper omnes amantiſſima & Gratiſſima Maria gratiâ plena &c. O Dulcedo cordis mei! effice precibus tuis, ut ipſi dulciſſimo Domino Noſtro placeamus, & Eum totis viribus ſpiritus, animæ, & corporis diligamus. Amen.

Quarta Stella.
Intimæ Familiaritatis.

Ave per cor Jeſu prædilecti Filii tui Flagrantiſſima Viola Divinæ ſvavitatis, Sacratiſſimi Sponſi, ſacratiſſima Sponſa Maria, Deo ipſi ſuper omnes animâ & corpore Familiariſſima gratiâ plena &c. O Dulce præſidium meum, fac nos tibi & Filio tuo per vitæ ſanctimoniam & Spiritus Unionem familiares. Amen.

Quinta Stella
Virgineæ Fœcunditatis.

Ave per cor Jeſu prædilecti Filii tui odoriferum Deitatis reclinatorium, Virginea fæcunditate, & fecunda Virginitate admirabilis Maria gratiâ plena &c. Refugium meum! ſegrega mentem meam a deſideriis te-

terennis, & eam in amore rerum
cæleſtium fige, ad laudem Unigeniti
tui ſempiternam. Amen.

Sexta Stella
Maternæ Electionis.

Ave per cor Jeſu prædilecti Filii
tui Mundiſſima Dei cella Maria
ſola in Matrem Dei electa, digniſſi-
maque inventa, de cujus virginei
cordis puriſſimo Sanguine Carnem
aſſumeret gratiâ, plena &c. O Vir-
go decoris ſtupendi, impetra mihi
perfectam cordis puritatem; ut ſim
ex eorum Numero, quorum Animas
Unigenitus Dei, Filius tuus digne-
tur inhabitare, Amen.

Septima Stella
Gratiæ plenitudinis.

Ave per cor Jeſu prædilecti Filii
tui amæniſſima Paradiſus cuncto-
rum odore florum redolens Maria,
omnibus gratiis Divinis ſuper abun-
danter plena Dominus tecum &c.
O Deliciofiſſimum Divinitatis taber-
naculum reple cor Noſtrum & ſen-
ſum Noſtrum ex plenitudine gratiæ
tuæ,

tuæ, quam ad omnes diffundendum accepisti: Amen.

Octava Stella
Firmissimæ perseverantiæ.

Ave per cor Jesu prædilecti Filii tui munitissima turris, omnium te laudantium in bono super omnes Sanctos finaliter Stabilissima Maria gratiâ plena &c. O vitæ meæ refugium adjuva me laborantem, protege me pugnantem, & confirma me vacillantem, te amet, te veneretur, tibi benedicat anima mea in æternum. Amen.

Nona Stella
Immensæ Fructificationis.

Ave per cor Jesu prædilecti Filii tui exuberantissimus hortus, fructus ventris tui satians omnem creaturam in cælo & in terra fructuosissima Maria gratiâ plena &c. O Virgo admirabilis, dona mihi odorem Sanctæ conversationis ex te haustum apud omnes spirare, & quantum in me est, nemini sim gravis, neminem scandalisem, sed omnes ad Dei amorem, suiq; & mundi

di cognitionem & contemptum ex me provocari, posint. Amen.

Decima Stella
Liberalissimæ potentiæ.

Ave per cor Jesu prædilecti Filii tui liberalissima clavigera, & potentissima dispensatrix thesaurorum Regni cælestis Maria, per quam Deus omnia largiatur omnibus suas divitias postulantibus & gratiâ plena &c. O certa in Deum fiducia mea, largire mihi gratiam de thesauris tuis, per quam tibi & Filio tuo placeam. Amen.

Undecima Stella
Summæ Reverentiæ.

Ave per cor Jesu prædilecti Filii tui Regina illustrissima, cujus pedibus totus orbis jure provolvitur & omnis sexus & ætas merito verticem inclinat tibi Reverendissima Maria, gratiâ plena &c. O totius elegantiæ fæmina! assume me in Servum tuum, adopta me in Filium tuum, ut inter illos numerer, quos virgineo tuo pectori inscriptos amas, do-

doces, dirigis, confortas, illuminas, adjuvas & protegis. Amen.

Duodecima Stella
Summæ præeminentiæ.

Ave per cor Jeſu prædilecti Filii tui Domina præcellentiſſima & inter Sanctos poſt Dominum mundi potentiſſima, Sapientiſſima, Emimentiſſima, Affluentiſſima, Efficaciſſima, Specioſiſſima & communiſſima Maria, qua una poſt Dominum Univerſorum nihil habet cæleſtis curia in ſua aula excellentius, admirabilius, gratiâ plena &c. O Decies & millies beata! irradia mentis meæ Intima, ſereniſſimo vultus tui ſplendore, reccollige ſervuli tui diſperſas cogitationes, & cor meum totum in laudibus tuis Divinis occupa, ut ipſi dulciſſimo Filio tuo placere, & in æternum ipſum adorare, contemplari, & fruitivè complecti mereamur. Amen. Ita quæſumus fiat, ſicut ſcis, vis, & potes, & ſicut te jam ſæpius feciſſe grati & memores profitemur. Amen.

Ora-

Oratio

Ave Sanctiſſima Maria Mater Dei, Regina Cæli, porta paradyſi, Domina Mundi ſingularis & pura tu es Virgo. Tu concepiſti Jeſum ſine macula. Tu peperiſti Creaturam & Salvatorem Mundi, in quo ego non dubito, libera me ab omni malo, & ora pro peccatis meis. Amen.

OFFICIUM

Immaculatæ Conceptionis

BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIAE.

Ad Matutinum.

℣ Eja mea labia nunc annuntiate.
℟ Laudes & præconia Virginis beatæ.
Domina in adjutorium meum intende.
Me de manu hoſtium potenter defende.
Gloria Patri & Filio &c.

Hymnus.

Salve Mundi Domina, Cælorum Regina.
Salve Virgo Virginum, Stella Matutina.

Sal-

Salve plena gratiæ clara lux Divinà.
Mundi in auxilium Domina festina.
Ab æterno Dominus te præordinavit.
Matrem Unigeniti Verbi, quo creavit.
Terram, pontum, æthera, te pul-
chram ornavit.
Sibi Sponsam, ut quæ in Adam non
peccavit.

℣. *Elegit eam Deus & præelegit eam.*
℟. *In tabernaculo sub habitare fecit
eam.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et Clamor meus ad te veniat.*

Oremus.

Sancta Maria Regina cælorum, Ma-
ter Domini Nostri Jesu Christi, &
Mundi Domina, qnæ nullum derelinqu
quis & nullum despicis, respice m
Domina clementer oculo tuæ pieta
tis, & impetra mihi apud tuum Di
lectum Filium, cunctorum venia
peccatorum, ut qui nunc tuam Sa
ctam Conceptionem devoto affectum
recolo, æternæ in futurum beatitu
dinis bravium capiam, ipso que
Virgo peperisti donante Domino N
stro Jesu Christo, qui cum Patre
Spi-

Spiritu Sancto vivit & regnat in Trinitate perfecta Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Ad Primam.

Domina in adjutorium meum intende.
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri &c.

Hymnus

Salve Virgo Sapiens, Domus Deo grata.
Columna septemplici mensaquè exornata.
[illegible]b omni contagio Mundi præservata.
[illegible] Sancta in utero Parentis quam [illegible] Nata.
[illegible] Mater Viventium & porta es [illegible] Sanctorum.
[illegible] Stella ex Jacob Domina Angelorum.
[illegible]bulo terribilis Acies Castrorum.
[illegible] & refugium sis Christianorum.

Ipse creavit eam in Spiritu Sancto.
Et effudit eam super omnia opera sua.

Oratio ut Supra. *Sancta Maria &c.*

Ad tertiam.

Domina in Adjutorium &c.

Hymnus.

Salve arca fæderis thronus Salamonis.
Arcus pulcher ætheris, rubus visionis.
Virga frondens germinis velus Gedeonis.
Porta Clausa Numinis & favus Samsonis.
Decebat tam Nobilem Natum præcavere.
Te ab originali labe Matris Evæ.
Almam quam elegerat genitricem vere,
Nulli prorsus patiens culpæ subiacere.

℣. *Ego in altissimis habito.*
℟. *Et thronus meus in Columna Nubis.*

Oratio *ut supra.*

Ad Sextam.

Domina in adjutorium &c.

Hy-

Hymnus.

Salve o puerpera, Templum Trinitatis.
Angelorum gaudium, Cella puritatis.
Solamen mærentium, hortus voluptatis.
Palma patientiæ, Cedrus caſtitatis.
Terra es benedicta & Sacerdotalis.
Sancta atque immunis culpæ originalis.
Civitas Altiſſimi, porta Orientalis.
In te eſt omnis gratia Virgo Singularis.
℣. *Sicut lilium inter ſpinas.*
℟. *Sic amica mea inter Filias Adœ.*

Oratio *ut ſupra.*

Ad Nonam.

Domina in adjutorium &c.

Hymnus.

Salve Urbs refugii turrisque munita.
David propugnaculis, armisque inſignita.
Tu in conceptione charitate ignita.
Infernalis poteſtas eſt a te contrita.
Eja Mulier fortis & invicta Judith.
Pulchra Abizai Virgo verum fovens David.

Rachel procuratorem Ægypti gesta vit.
Sed Salvatorem Mundi Maria portavit.
℣. *Tota pulchra es amica mea.*
℟. *Et macula originalis non est in Te.*

Oratio *ut supra.*

Ad Vesperas.

Domina in adjutorinm &c.

Hymnus.

Salve horologium, quo retro trahatur.
Sol in decem lineis Verbum incarnatur.
Homo ut ab inferis ad summa tollatur.
Immensus ab Angelis paulo minoratur.
Solis hujus radiis Maria corruscat.
Et consurgens Aurora in conceptu micat.
Lilium inter Spinas, quæ serpentis terat.
Caput pulchra ut luna, Errantes collustrat.

℣.

℣. *Ego feci in Cœlis ut oriretur lumen indefficiens.*
℟. *Et ſicut Nebula texi omnem terram.*

Oratio *ut ſupra.*

Ad Completorium.

Convertat nos Domina tuis precibus placatus Jeſus Chriſtus Filius tuus.
Et avertat iram ſuam a nobis.
Domina in adjutorium &c.

Hymnus.

Salve Virgo Nobilis Mater illibata
Regina clementiæ Stellis coronata.
Supra omnes Angelos, pura, immaculata.
Atque ad Regis dexteram ſtans veſte inaurata.
Per te Mater gratiæ, dulcis ſpes reorum.
Refulgens Stella Maris portus naufragorum.
Patens Cæli Janua, Salus infirmorum.
Videamus Triadem in aula Sanctorum.

℣. *Oleum effuſum Maria Nomen tuum.*

℟. *Servi tui dilexerunt te nimis.*

Oratio *ut ſupra.*

Commendatio.

Supplices offerimus tibi Virgo pia.
Has horas canonicas, fac nos, ut in via.
Ducas curſu proſpero, & in agonia.
Præſens nobis aſſiſte o Dulcis Maria. Amen.

Sequens Antiphona a Paulo Pont: approbata, qui eandem cum oratione Immaculatæ Virginis conceptionis omnibus recitantibus conceſſit centum Annorum Indulgentiam.

Antiphona.

Hæc eſt Virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.

℣. *In Conceptione tua Virgo Immaculata fuiſti.*

℟. *Ora pro Nobis Patrem, cujus Filium peperiſti.*

Ora-

Oratio.

DEUS qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum præparasti, quæsumus, ut qui ex morte ejusdem Filii tui prævisa, Eam ab omni labe præservasti, nos quoque mundos Ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per Eundem &c.

LITANIÆ.

Beatissimæ Virginis Mariæ.

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater de Cælis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor Mundi Deus, Miser:
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas Unus Deus, Misere:
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, Ora pro:
Mater Christi, Ora pro nobis.

Ma-

Mater Divinæ gratiæ,
Mater puriſſima,
Mater caſtiſſima,
Mater Inviolata,
Mater Intemerata,
Mater Amabilis,
Mater Admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris.
Virgo Prudentiſſima,
Virgo Veneranda,
Virgo Prædicanda,
Virgo Potens,
Virgo Clemens,
Virgo Fidelis.
Speculum Juſtitiæ,
Sedes Sapientiæ,
Cauſa Noſtræ lætitiæ,
Vas Spirituale,
Vas honorabile,
Vas inſigne devotionis.
Roſa Myſtica,
Turris Davidica,
Turris Eburnea,
Domus Aurea,
Fæderis Arca,
Janua Cæli,
Scala Paradyſi,

Ora pro Nobis. Ora pro Nobis. Ora pro Nobis.

Stel-

Stella Matutina,
Salus Infirmorum,
Refugium Peccatorum,
Conſolatrix Afflictorum,
Auxilium Chriſtianorum.
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apoſtolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confeſſorum,
Regina Virginum.
Regina Sanctorum omnium.
Patrona Ordinis Noſtri.

Ora pro Nobis.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine,
Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Miſerere nobis.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon,
Kyrie eleyſon.

Aitiph: Sub tuum præſidium Confugimus Sancta DEI Genitrix. Noſtras depræcationes ne deſpicias in Neceſſitatibus Noſtris, ſed

a periculis Cunctis libera nos virgo ſemper glorioſa & benedicta. Domina Noſtra, Advocata Noſtra, Mediatrix Noſtra, Conſolatrix Noſtra. Tuo FIlio nos recommenda, Tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repræſenta.

℣. *Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix.*

℟. *Ut digni Efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

Oremus.

Concede nos Famulos tuos quæſumus Domine DEUS perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa Beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, a præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Chriſtum Dominum Noſtrum, Amen.

Antiphona ad B. V. Mariam.

Stella cæli extirpavit, quæ lactavit Dominum. Mortis peſtem, quam plantavit primus Parens hominum. Ipſa Stella nunc dignetur ſidera compeſcere, quorum bella plebem cedunt

dunt diræ mortis ulcere. O Pijſſima Stella Maris a peſte ſuccure Nobis. Audi nos Domina: Nam Filius tuus nihil negans te honorat. Salva nos JESU pro quibus virgo Mater Te orat.

℣. *In omni tribulatione & Anguſtia Noſtra.*

℟. *Succure Nobis pijſſima Virgo Maria.*

Oremus.

DEUS miſericordiæ, DEUS pietatis, DEUS indulgentiæ, qui miſertus es ſuper afflictionem populi tui, & dixiſti Angelo percutienti populum tuum, Contine Manum tuam, ab amorem illius Stellæ glorioſæ, cujus ubera prætioſa contra venenum Noſtrorum delictorum, quam dulciter ſuxiſti, præſta, auxilium gratiæ tuæ, ut ab omni peſte & improviſa morte ſecurè liberemur, & a totius perditionis incurſu miſericorditer ſalvemur, per Te JESU Chriſte Rex gloriæ. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

HYM-

HYMNUS.

Sancti Casimiri de Beatissima Virgine.

Omni die dic MARIÆ, mea laudes Anima,
Ejus Festa, ejus gesta cole devotissima.
Contemplare, & mirare ejus celsitudinem,
Dic felicem Genitricem; dic Beatam Virginem.
Ipsam cole, ut de mole criminum te liberet,
Hanc appella, ne procella vitiorum superet.
Hæc Persona nobis dona contulit cælestia,
Hæc Regina, nos divinâ illustravit gratiâ.
Lingva mea dic trophæa Virginis puerperæ,
Quæ inflictum maledictum miro transfert germine.
Sinè fine dic Reginæ mundi laudum cantica,
Ejus bona semper sona, semper illi prædica.

Om-

Omnes mei ſenſus Ei perſonate gloriam,
Frequentate tam Beatæ Virginis memoriam, Amen.

Hymnus Marianus à S. Bonaventura Concinnatus.

Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem profitemur·

Te æterni Patris Sponſam omnis terra veneratur, Tibi omnes Angeli & Archangeli, tibi omnes Principatus humiliter ſerviunt.

Tibi omnes Poteſtates, & ſupernæ Virtutes cœli cælorum, univerſæ Dominationes obediunt.

Tibi omnes Throni, tibi Cherubim & Seraphim exultantes aſſiſtunt.

Tibi omnes Angelicæ creaturæ inceſſabili voce proclamant:

Sancta, Sancta, Sancta Maria Dei Genitrix & Virgo, Pleni ſunt cœli & terra, Majeſtatis gloriæ Fructus ventris tui.

Te Glorioſus Apoſtolorum chorus ſui Creatoris Matrem collaudat.

Te Martyrum cætus Candidatus Chriſti Genitricem glorificat.

Te

Te gloriofus Confefforum exercitus Trinitatis templum appellat.

Te amabilis chorus Virginum fuæ Virginitatis exemplum prædicat.

Te tota cæleftis curia cœlorum Reginam honorat.

Te per univerfum orbem Ecclefia Sancta invocando concelebrat.

Matrem Divinæ Majeftatis.

Venerandam te veram Regis cæleftis puerperam.

Sanctam quoque, dulcem, & piam.

Tu Angelorum Domina.

Tu Paradifi janua.

Tu fcala regni cæleftis

Tu regis gloriæ thalamus.

Tu arca pietatis gratiæ.

Tu vena mifericordiæ.

Tu refugium peccatoris.

Tu eft Mater Salvatoris.

Tu ad liberandum exulem hominem, Filium Dei fufcepifti in uterum.

Per te expugnato hofte antiquo funt aperta Fidelibus regna cœlorum.

Tu cum Filio tuo fedes ad dexteram Patris.

Tu ipfum pro nobis roga Virgo

Ma-

Maria, quem ad nos judicandum credimus esse venturum.

Te ergo poscimus, nobis famulis tuis subveni, qui pretioso Sanguine Filij tui sumus redempti.

Æterna fac Virgo serena, cum servis tuis in gloria præmiari.

Salvum fac populum tuum Domina, ut simus participes hæreditatis tuæ.

Et rege nos, & extolle nos usque in æternum.

Per singulos dies, ô pia, te salutamus:

Et laudare te cupimus in æternum, devota mente & voce

Dignare dulcis Maria, nunc & semper nos sine delicto conservare.

Miserere nobis pia, miserere nobis.

Fiat misericordia tua magna nobiscum, quia in te dulcis Maria confidimus.

In te clementissima Domina speramus, defende nos in æternum.

Te decet laus, te decet imperium, tibi victus & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Planctus B. V. Mariæ.

Stabat Mater Dolorosa,
Juxta Crucem lachrymosa,
Dum pendebat Filius,

Cu-

Cujus animam gementem,
Contriſtantem & dolentem,
Pertranſivit gladius.
O quam triſtis & afflicta,
Fuit illa Benedicta,
Mater unigeniti!
Quæ merebat & dolebat,
Et tremebat cum videbat,
Nati pænas inclyti.
Quis eſt homo, qui non fleret,
Chriſti Matrem ſi videret,
In tanto ſupplicio?
Quis non poſſet contriſtari,
Piam Matrem contemplari,
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis ſuæ gentis,
Vidit JESUM in tormentis,
Et flagellis ſubditum.
Vidit ſuum dulcem Natum,
Morientem deſolatum,
Dum emiſit Spiritum.
Eja Mater fons amoris,
Me ſentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac, ut ardeat cor meum,
In Amando Chriſtum DEUM,
Ut ſibi complaceam,

Sancta Mater iſtud agas,
Crucifixi fige plagas,
Cordi meo valide.
Tui Nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pænas mecum divide.
Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta Crucem tecum ſtare,
Te libenter ſociare,
In planctu deſidero.
Virgo Virginum præclara,
Mihi jam non ſis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac ut portem Chriſti mortem,
Paſſionis ejus ſortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari,
Ob amorem Filij.
Inflammatus & accenſus,
Per te Virgo ſim defenſus,
In die Judicij.
Fac me Cruce cuſtodiri.
Morte Chriſti præmuniri,
Confoveri gratiâ.

Quan-

Quando Corpus morietur,
Fac ut animæ donetur,
Paradyſi gloria, Amen.

℣. *Tuam ipſius Animam doloris gladius pertranſivit.*

℟. *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.*

Oremus.

Interveniat pro Nobis quæſumus Domine JESU Chriſte nunc & in hora mortis noſtræ; apud tuam Clementiam Sacratiſſima Virgo Maria Mater tua, cujus Sanctiſſimam Animam in hora paſſionis tuæ doloris gladius pertranſivit, & intima cordis penetravit, per te JESU Chriſte Salvator Mundi, qui vivis & regnas DEUS benedictus in ſæcula, Amen.

OFFICIUM

S. ANGELI CUSTODIS.

Ad Matutinum.

℣. In Conſpectu Angelorum pſallam tibi DEUS meus.

℟. Adorabo ad templum S. tuum & confitebor nomini tuo. Do-

Domine labia mea, &c.
DEUS in Adjutorium, &c.
Glora Patri & Filio, &c.

Hymnus.

Salve Custos Angele Civis paradysi,
Impetra nunc Concivi, lumen quod amisi,
Ut quod DEO displicet malum declinare,
Et quod ipse diligit valeam patrare,
Tibi Pater luminum me commisit cælicum,
Mihi Sanctum impetra lumen ut sit meum.

Antiph: Angele DEI qui custos es mei me tibi commissum pietate superna hodie illumina, custodi, rege, & guberna.

℣. *Angelis suis DEUS mandavit de te.*
℟. *Ut custodiant te in omnibus vijs tuis.*

Oratio.

DEUS, qui ineftabili providentia Sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris, largi-

re

re ſupplicibus tuis & eorum ſemper protectione defendi, & æterna ſocietate gaudere. Per Dominum, &c.

Ad Primam.

℣. In Conſpectu Angelorum, &c.
DEUS in adjutorium, &c.

Hymnus.

Salve Cuſtos Angele Vigil & fidelis,
Jam expulſis tenebris fulget ſol in Cælis.
Peccatorum tenebras, torporemq; mentis,
A me pelle gratiâ Chriſti omnipotentis,
Corpus atq; animam libens tibi trado,
Ut me totum dirigas dum ad DEUM vado.

Antiphona, Verſus, & Oratio, ut ſupra.

Ad Tertiam.

℣. In Conſpectu Angelorum. &c.
DEUS in adjutorium, &c.

Hymnus.

Salve CuſtosAngele rogo te perJeſum,
Ut me in periculis protegas illæſum.
Offer preces Domino, quas dat cordevotum,
Septiformi munere replens illud totum.

Per

Per te Sanctus Spiritus reddat me decorum,
Qui hac hora imbuit cor Apostolorum.
Antip: Versus. & Oratio, ut supra.

Ad Sextam.

℣. In Conspectu Angelorum &c.
Deus in adjutorium &c.

Hymnus.

Salve Custos Angele summi Regis miles.
Cui omnes dæmonis machinæ sunt viles.
Me quærit ut devoret sicut leo rapax,
Gloriæ quam perdidit, eo quod sum capax.
Arma pro me suscipe quæso princeps fortis,
Ut fugatis hostibus vitem viam mortis.
Antiphona, Versus & Oratio ut supra.

Ad Nonam.

℣. In Conspectu Angelorum &c.
Deus in adjutorium &c.

Hymnus.

Salve Custos Angele Consolator meus.
Hora nona obiit pro me Christus Deus.

Si-

Sibi fac anima moriatur tota.
Et in bonis actibus semper sit devota.
Cor in Christi Mortui plagis vita plenis.
Abscondatur liberum rebus a terenis.
Antiphona Versus & oratio ut supra.

Ad Vesperas.

℣. In Conspectu Angelorum &c.
Deus, in adjutorium &c.

Hymnus.

Salve Custos Angele dono immortalis.
Hæc cum dies defecit, vita corporalis.
Meæ vitam animæ, spiritus profectum.
Auge tuis precibus, redde me perfectum.
De Virtute ambulem semper in virtutem.
Ut æternam Moriens Assequar salutem.
Antiphone, Versus & oratio ut supra.

Ad Completorium.

℣. In Conspectu Angelorum &c.
Converte nos Deus &c.

Do-

Deus in adiutorium &c.

Hymnus.

Salve Cuſtos Angele Virgini Mariæ.
Me commenda jugiter meæ Matri piæ.
Cor amore ſaucia! tam magnæ Reginæ.
Ut cum Deo diligam ipſam ſine fine.
Et me hora Mortis pariter tuentes,
Ad Cæleſtem Patriam ducite gaudentes.

Antiphona, Verſus & oratio ut ſupra.

COMMENDATIO.

Has horas Canonicas cum devotione.
Tibi Cuſtos Angele pia ratione.
Dixi, ut me viſites inſpiratione.
Ac dignus efficiar Dei viſione.

LITANIÆ

De Sanctis Angelis.

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.

Chri-

Christe audi Nos, Christe exaudi nos.
Pater de Cælis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor Mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus S. Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
S. Michael Dux cælestis exercitus.
S. Michael Defensor Assidue Fidelium,
S. Michael Ecclesiæ Dei custos & Patrone,

Ora pro nobis.

S. Michael Princeps & Dux Noster.
S. Gabriel Mysteriorum Dei annuntiator.
S. Gabriel Specialis Custos Matris Dei nostri,
S. Gabriel pronube salutis Nostræ.
S. Raphàël iter agentium Dux fidelissime.
S. Raphàël dæmonis propulsator.

Ora pro nobis

S. Angele Custos mei, comes, tutellaris individue.
Sancti Angeli qui Throno Dei assistitis. Orate pro nobis. San-

Sancti Angeli qui semper Deo Sanctus, Sanctus, Sanctus, canitis, Ora:
Sancti Angeli Cives beatæ Hierusalem, Orate pro nobis.
Sancti Angeli specula Dei splendidissima, Orate pro nobis.
Sancti Angeli mundi rectores, Regnorum & populorum Domini.
Sancti Angeli Amicorum Dei protectores & tribulatorum consolatores, Orate pro nobis.
Sancti Angeli ad Custodiam Hominum destinati. Orate pro nobis.
Sancti Angeli ex pænitentia peccatorum lætantes. Orate pro nobis.
Sancti Angeli orationes nostras & bona opera Deo annuntiantes. Or:
Sancti Angeli Morituris præsentes. Or:
Sancti Angeli animarum purgatarum ad cælum deductores. Orate pro
Omnes omnium ordinum Beati Spiritus. Orate pro nobis.
A cunctis periculis per Sanctos Angelos tuos. Libera nos Domine.
Ab omnibus insidiis Inimicorum. Libe:
A subitanea & improvisa morte. Lib:
A morte perpetua. Libera nos Dom:
A peste, fame, & bello. Libera nos

Per Sanctos Angelos tuos tribuens Nobis victoriam, vivis omnibus gratiam, Defunctis auxilium & misericordiam. Libera nos Domine.

Chriſte Decus Angelorum. Parce no:

Chriſte ſplendor Virtutum Cæleſtium. Exaudi nos Domine.

Chriſte beatitudo omnium Spirituum Cæleſtium Miſerere nobis.

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.

℣. *Exaltate Deum omnes Angeli ejus.*

℟. *Qui facitis voluntatem Dei in Aula Sancta ejus.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui me licet indignum ad imaginem tuam creaſti, & Angelum tuum Sanctum ad mei cuſtodiam deputaſti, da mihi ſervo tuo illius ductu & cuſtodia malorum omnium tam animæ quam corporis, pericula feliciter pertranſire, & poſt hujus vitæ curriculum ad gaudia ſempiterna facias pervenire, Per Dominum Noſtrum &c.

Ora-

Oratio ad S. Michaelem Archangelum.

Princeps gloriofiffime S. Michael Archangele, ego humillimus cliens tuus, faluto te per dulciffimum cor Jefu Chrifti, quod tibi in augmentum gaudii, & gloriæ tuæ peramanter offero, gratias agens Deo pro beatitudine, quam tibi contulit, & quod te fuper omnes alios Angelos honorare & exaltare voluit. Tibi vitæ & mortis meæ curam specialiter commendo, adfis mihi nunc femper, & maxime in fine vitæ meæ benignè me tunc confolare, conforta & protege. Impetra mihi augmentum fidei, fpei & charitatis, nec permittas me a Sancta fide deviare, nec in foveam defperationis incidere, neque de operibus bonis, si quæ per gratiam Dei operatus fum præfumere. Impetra mihi peccatorum meorum veniam, humilitatem, patientiam, & alias Virtutes, maxime verò perfeverantiam in bono, & gratiam finalem, ut tecum Deum meum glorificem in fæcula. Amen.

LITANIÆ

De Sancto Josepho.

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.

Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.
Pater de Cælis Deus, Miſerere nobis
Fili Redemptor mundi Deus, Miſer:
Spiritus S. Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſere:
Sancta Maria Sponſa Joſeph,
S. Joſeph ſponſe Mariæ virginis.
S. Joſeph Cuſtos Virginitatis Mariæ.
S. Joſeph Tutor & Nutritie Jesu
S. Joſeph quærens Jesum in templo,
S. Joſeph Exul cum Chriſto in Ægipto.
Ora pro nobis.

S. Joſeph Pater & Virgo.
S. Joſeph Gener Joachim & Annæ.
S. Joſeph in Virginitate Mundisſime.
S. Joſeph in humilitate profundiſſime.
S. Joſeph in Charitate Ardentisſime,
Ora pro nobis.

S.

S. Joſeph in Contemplatione Altiſſime,
S. Joſeph in ærumnis patientisſime,
S. Joſeph Beatorum Beatiſſime,
S. Joſeph in utero Matris juſtificate,
S. Joſeph in gratia Confirmate,
S. Joſeph Decus Sponſorum,
S. Joſeph Exemplar opificum,
S. Joſeph Vir ſecundum cor Dei,
S. Joſeph Fidelis ſervus & prudens.
Ora pro nobis.
S. Joſeph obiens inter brachia Chriſti, Ora pro nobis.
S. Joſeph Patrone Noſter, Ora pro:
S. Joſeph Advocate Noſter, Ora pro:
S. Joſeph Defenſor Noſter, Ora pro:
S. Joſeph Fili David, Ora pro nobis.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon Kyrie eleyſon.

℣.

℣. *Ora pro nobis Beate Joseph.*
℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

Oremus.

Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi quaesumus Domine meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis & regnas &c.

Oratio ad S. Joachim.

O Sancte Joachim cui rectè id nomen est inditum, quod praeparationem Domini significat. Tu enim ad vivum Dei templum praeparandum a Deo electus es, in quo Filio ejus Unigenito habitare placuit. O Beatissime Pater, a quo processit illa Filia, quae in Dei Matrem, ac caeli terraeque Reginam est assumpta. O quanto illam amore & reverentia excepisti! quâ curâ & sollicitudine enutrivisti, quam praeclaro humilitatis, Religionis ac pietatis exemplo proli tuae charissimae, cunctisque Mortalibus praeluxisti, tuis me precibus o S. Joachim adjuva, ut & ego gratum Deo Domicilium in corde

de meo præparem, conſtantique pietatis affectû illud exornem. Amen.

Oratio ad S. Annam.

O Gratioſa Domina! o benedicta Mater Anna! bene Annæ ideſt, gratiæ tibi Nomen obtigit, quia Tibi cælum vivum, omnibus cælis majus in benedicto utero tuo portare, & in hanc lucem edere a Deo conceſſum eſt, quem enim cæli cælorum capere non poterant: Filia tua immaculato gremio ſuo concluſit. Tu es o Electa Mater! Radix illa Virgæ Jeſſe, ex qua flos pulcherimus, fructusque vitæ noſtræ dulciſſimus Chriſtus Jesus aſcendit, Lætare o Anna Sterilis! quoniam ex Filia tua Filius natus eſt nobis, cujus nomen vocatum eſt magni conſilij, hoc eſt: ſalutis totius Mundi Angelus. Fac me o Mater benedicta! gratiæ, quam ex gratiarum fonte abundè hauſiſti participem: & in amore dilectiſſimi Jeſu, & protectione dulciſſimæ Filiæ tuæ Mariæ vivam & moriar. Amen.

OF-

OFFICIUM

SANCTI P. N. FRANCISCI.

Ad Matutinum.

Amor Seraphicus incendat ſenſus, & præcordia Noſtra. Amen.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annutiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium &c.

℟. Domine ad adjuvandum &c.

Gloria Patri &c.

Hymnus.

Dum Mundus in virtutibus omnibus tepeſcit.
Et multis in ſceleribus miſerè putreſcit.
Franciſcus pro tot hominum anxius ſalute.
Hanc quærit apud Dominum precandi virtute.

Antiph: O Patriarcha Pauperum nos pauperes fac ſpiritu, conſortes redde ſuperum ereptos ab interitu.

℣. *Ora pro nobis B. P. Franciſce.*

℟. *Ut digni efficiamur &c.*

Oremus.

Deus qui Eccleſiam tuam Beati Franciſci meritis fætu novæ prolis

lis amplificas, tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, & cælestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum &c.

Ad Primam.

Amor Seraphicus. &c. ut supra.
℣. Deus in adjutorium &c.
Gloria Patri &c.

Hymnus.

Mox cælo Sancto fervidus ac tot animarum. (darum.
Verbo, exemplo, avidus Deo lucran-
Magno conatur studio Cælo vendicare.
Quas tanto Christus prætio voluit salvare.

Antip: O Patriarcha &c ℣. ℞. Oratio *ut supra.*

Ad Tertiam.

Amor Seraphicus &c.
℣. Deus in adjutorium &c.
Gloria Patri &c.

Hymnus.

Hinc ut posset facilius, istut adimplere.
Eundem Dei Filius, in ætatis verè.
Sacram Minorum Vineam monuit plantare.
Et sterilem Ecclesiam suam fæcundare.

Antip: O Patriarcha, &c. ℣. ℟. Orat: *ut ſupra.*

Ad Sextam.

Amor Seraphicus &c.
℣. Deus in adjutorium &c.
Gloria Patri &c.

Hymnus.

Hunc & mirando opere ſibi ſimilavit.
In volis, plantis, latere dum ſti- gmatizavit.
Per quod tota Eccleſia fuit informata.
Quanta in cælo gloria ei ſit parata.
Antip: O Patriarcha &c. ℣. ℟. Orat: *ut ſupra.*

Ad Nonam.

Amor Seraphicus &c.
℣. Deus in adjutorium &c.
Gloria Patri &c.

Hymnus.

Hora ſui tranſitus demum iminente.
Filiis adſtantibus animo ardente.
Suam commendat Dominam S. Pau- pertatem.
Et tunc emittit animam in Beatitatem.
Antip: O Patriarcha &c. ℣. ℟. Orat: *ut ſupra.*

Ad Veſperas.

Amor Seraphicus &c.

V.

℣. Deus in adjutorium &c.
Gloria Patri &c.

Hymnus.

Mox poſt beatum tranſitum cæpit corruſcare. (ſtrare.
Signis, & his circuitum mundi illu-
Tunc & licebat vulnera Chriſti revereri.
Nec non Beati ſtigmata Patris intueri.
Antiph: O Patriarcha &c. ℣. ℟. Orat: *ut ſupra.*

Ad Completorium.

Amor Seraphicus &c.
℣, Converte nos Deus Salutaris noſter.
℟. Et averte iram tuam a nobis.
℟. Deus in adjutorium &c.
Gloria Patri &c.

Hymnus.

Cum Hymnis & luminibus Sacrum corpus condunt. (fundunt.
Et Fratres cum Concivibus pia vota
Tu jam tuis virtutibus dita nos, precamur. (ſequamur.
Ut dignis ſemper laudibus Deum pro-
Antip: O Patriarcha &c. ℟. ℣. Orat: *ut ſupra.*

Co-

Commendatio.

Has horas Canonicas cum devotione Tibi, Pater, obtuli, hac intentione. Ut me tuum Filium in vocatione. Firmes & auxilium præſtes in Agone. Amen.

Oratio.

Domine Jesu Chriſte da mihi poſt illuminationem cordis mei fidem rectam, ſpem ſecuram, charitatem veram, & tui agnitionem, ut ſemper tuam Sanctiſſimam voluntatem adimpleam. Amen.

LITANIÆ

S. P. N. FRANCISCI.

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon Kyrie eleyſon.

Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.

Pater de Cælis Deus, Miſerere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus. Miſerer:

Spiritus S. Deus, Miſerere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere:

S. Maria Immaculatæ Conceptionis:

S. Maria Advocata Franciſcanæ Religionis, Ora pro nobis.

S. Fran-

S. Franciſce Seraphice,
S. Franciſce Pater prudentiſſime,
S. Franciſce Patriarcha pauperum,
S. Franciſce Deſpiciens mundum,
S. Franciſce Exemplum penitentiæ,
S. Franciſce vincens mundi vitia,
S. Franciſce Imitator Salvatoris.
S. Franciſce Ferens Chriſti ſtigmata
S. Franciſce Jeſu Characteribus inſignite,

Ora pro Nobis.

S. Franciſce norma caſtitatis,
S. Franciſce forma humilitatis.
S. Franciſce florens gratiâ,
S. Franciſce via errantium,
S. Franciſce medela infirmorum,
S. Franciſce Columna Eccleſiæ,
S. Franciſce Fidei defenſor,
S. Franciſce athleta Chriſti,

Ora pro Nobis.

S. Franciſce propugnaculum militantium,
S. Franciſce ſcutum inexpugnabile
S. Franciſce malleus hæreticorum
S. Franciſce converſio Paganorum
S Franciſce erigens claudos.
S. Franciſce ſuſcitans mortuos,
S. Franciſce mundans leproſos.

Ora pro Nobis.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi Parce nobis Domine.

Agnus

Agnus Dei qui tollis peccata mundi Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miferere nobis.
Chrifte audi nos, Chrifte exaudi nos.
Kyrie eleyfon, Chrifte eleyfon, Kyrie eleyfon.
V. Ora pro nobis B. P. N. Francifce.
R. Ut Digni efficiamur &c.

Oremus.

DEUS ineflabilis potentiæ, cuius providentia vitæ noftræ momenta decurrunt, adefto fervorum tuorum precibus, & præfta, ut qui Gloriofiffimi Confefforis tui P. N. Francifci facram memoriam veneramur Unigeniti tui limpidiffimam Maieftatem fuis præclaris meritis cernere feliciter mereamur. *Qui tecum vivit &c.*

Benedictio S. P. N. Francifci.

Benedicat tibi Dominus, & cuftodiat te, oftendat faciem fuam tibi, & mifereatur tui, convertat vultum fuum ad te, & det tibi pacem, Dominus benedicat te N. ✠✠✠.

OF-

OFFICIUM

S. ANTONII PADVANI.

Ad Matutinum.

℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟, Domine ad adjuvandum, &c,
Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

Dum Mundi in delicijs, ſolet ambulare,
Juventus, capta vitijs, aſpera vitare,
Et ſenſualitatibus, pravis indulgere,
Se ſtatuit Antonius, DEO devovere.

Antiphona; O! Proles Hiſpaniæ, pavor barbarorum, nova lux Italiæ, Nobile depoſitum Urbis Padvanæ, fer Antoni gratiæ Chriſti patrocinium, ne prolapſis, veniæ tempus breve creditum defluat inane.

℣. *Ora pro Nobis B. Antoni.*
℟. *Ut digni efficiamur, &c.*

Oremus.

Eccleſiam tuam DEUS B. Antonij Confeſſoris tui deprecatio Voti-

va

va lætificet ut ſpiritualibus ſemper muniatur auxilijs, & gaudijs perfrui mereatur æternis.

Ad Primam.

℣. DEUS in adjutorium, &c.

Gloria Patri, &c.

Hymnus.

Aurelianam primitùs, Regulam profeſſus, (ſus
In arduis Virtutibus, Miros fecit greſ-
Vitam deinde pauperum, eligit Minorum,
Quem movit conſtans Martyrum, mors Marochiorum.

Antiphona: O! Proles Hiſpaniæ &c.

℣. Ora pro Nobis &c. ℟. Ut digni, &c.

Oratio *ut ſupra.*

Ad Tertiam.

℣, DEUS in adj: &c. ℟. Domine ad &c.

Gloria Patri, &c.

Hymnus.

Antonij ſub Nomine. Zelô Dei ductus,
Præclaros Sanctimoniæ, mox produxit fructus, (cabat,
Diebus dum & Noctibus, precibus va-
Et auſteris operibus, Carnem macerabat.

Antiph: O! Proles Hiſpaniæ &c.

℣. ℟. Oratio *ut ſupra.* *Ad*

Ad Sextam.

℣. DEUS in ad: &c. ℟. Domine ad, &c.
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

Præco deinde inclytus, Verbi DEI factus. (nactus,
Id successive cælitus, eſt talentum
Ut doceret impios, ſemitam virtutis,
Et revocaret devios, in Viam Salutis.
Antiph. O! Proles Hiſpaniæ, &c.
℣. ℟. Oratio *ut ſupra.*

Ad Nonam.

℣. DEUS in ad: &c. ℟. Domine ad &c.
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

In ſcripturæ codicibus, ita verſabatur.
Præripere quod Omnibus, Palmam videbatur. (tus.
Sacrorum inde codicum, Arca eſt voca-
Rectè Doctorum omnium, Gemma nuncupatus.
Antiphona: O! Proles Hiſpaniæ &c.
℣. ℟. Oratio *ut ſupra.*

Ad Veſperas.

℣. DEUS in ad. &c. ℟. Domine ad &c.
Gloria Patri &c.

Hymnus. [rum,

Impugnator acerrimus, fit Hæretico-
Terror & pavor maximus Turbæ Paganorum, Eli-

Eliminator Criminum, morumquè Corrector, (tector.
Salus Periclitantium, clientium Pro-
Antiphona: O! Proles Hiſpaniæ. &c,
℣. ℟. Oratio *ut ſupra.*

Ad Completorium.

. Converte Nos DEUS Salutaris Noſter.
℟. Et averte iram tuam a Nobis.
℣. DEUS in ad: &c. ℟. Domine ad &c.
Gloria Patri &c.

Hymnus.

Multis tandem laboribus, fractus ægrotabat. (nuntiabat
Suamquè circumſtantibus, mortem
Iſtam dum Fratres populo, volunt occultare, (gare.
Iuventa mox in oppido, cæpit divul-
Antiphona: O! Proles Hiſpaniæ, &c.
℣. Ora pro Nobis B. Antoni,
℟. Ut digni efficiamur, &c.

Oremus.

Eccleſiam tuam &c. *ut ſupra.*

Commendatio.

Has Horas Canonicas cum devotione
Dixi, Sancte Antoni, hac intentione
Ut me juves in omni Tribulatione.

Mi-

Mihi quoq; præſens ſis Mortis in agone,
Dignus ut efficiar cæli Regione, Amen.

NOVENNA
AD S. ANTONIUM.

Præter Jejunia, Confeſſiones, Miſſas celebrandas, vel audiendas.

Novemdialis Devotio.

I.

Glorioſiſſime S. Pater Antoni, Clarum Sanctârum literarum per Hiſpaniam Lumen, ac verum omnium afflictarum animarum aſyllum, inclina obſecro benigniſſimas aures tuas ad humillimas preces meas, animæq; meæ apud altiſſimum gratiam impetrare digneris, idq; precor per innocentiſſimam puritatem tuam.

Pater Noſter, Ave Maria.

II.

Glorioſiſſime S. P. Antoni gloria Prædicatorum, Virtutum Fundator, acerrimeq; Vitiorum repræhensor, te ſupplex rogo, ut mihi pientiſſimi Pe-

pectoris tui viſcera repandas impetrando a Domino DEO Noſtro gratiæ ſubſidium, quin illud impetrem, quod in hac mea neceſſitate devotus poſtulo, idq; precor per annos iſtos, quibus in Ordine S. Auguſtini laudabiliter es converſatus.

Pater Noſter, Ave Maria.

III.

Glorioſiſſime S. P. Antoni, ſal terræ & lucerna Mundi ſupra candelabrum Eccleſiæ collocata, Civitas ſupra Montem contemplationis, poſita invoco te humillimè, ut ſubintrent in conſpectu benigniſſimæ charitatis tuæ afflicti cordis mei ſuſpiria, impetreſq; a Deo deſiderij mei exauditionem & progreſſum, idq; precor per annos iſtos, quos ſanctiſſimè in Ordine Seraphici Patris ſui Franciſci transegiſti.

Pater Noſter, Ave Maria.

IV.

Glorioſiſſimæ S. P. Antoni ac deditiſſime Famule Sanctiſſimæ Angelorum Reginæ, cum hac Cælorum Imperatrice apud Dilectiſſimum Filium ejus pro me intercedere, mihiq; impe-

petrare digneris peccatorum meorum veniam, Divinæq; gratiæ augmentum, & auxilium in omnibus neceſſitatibus, idq; precor per incomparabilem illam cordis tui letitiam, qua ſuffundebaris dum ln brachijs tuis commoraretur ſvaviſſimus puerulus JESUS. *Pater Noſter, Ave Maria.*

V.

Glorioſiſſime S. P. Antoni Orphanorum & pupillorum Pater, fecundiſſima pro corde ſterili gratiæ cæleſtis pluvia, & Sanctæ Orationis ferventiſſime Amator, rogo te humiliter, ut me quamvis indignum in Servum tuum recipere, mihiq: in omni ſpirituali ac corporali Neceſſitate ſuccurrere digneris, impetrando mihi a Deo Noſtro vivam fidem, qua merear exaudiri, idq; precor per plurima illa, quæ in hoc mundo operatus es miracula.

Pater Noſter, Ave Maria.

VI.

Glorioſiſſime S.P. Antoni Fortis pænitentiæ Columna, ſecurum contra tentationes ſcutum, & certa ignorantium via, obſecro te, ne deſpici-

cias juſta deſideria & poſtulationes meas, verum participem me facias bonorum fructuum & virtutum Sanctiſſimæ animæ tuæ, obtinendo a Domino Deo Noſtro per Communicationem prætioſiſſimi Sangvinis tui, ut ſpes mea ad optatum pertingat portum, idq; precor per Sacratiſſimam mortem tuam.

Pater Noſter, Ave Maria.

VII.

Glorioſiſſime S. P. Antoni Nova lux Italiæ Nobile depoſitum Urbis Padvanæ, Galliarum Inſtructor, Univerſale Chriſti Fidelium animarum ſolatium, tuum imploro precum mearum patrocinium impetrando apud Altiſſimum Intellectui meo veram fidem, animæ meæ ferventem charitatem, firmam cordi meo ſpem, quâ non confundar. Idq; precor per ſolemnem illam animæ tuæ beatæ in cæleſtia regna ſuſceptionem,

Pater Noſter, Ave Maria.

VIII.

Glorioſiſſime S. P. Antoni vivum Profeſſorum Evangellj Exemplar, Dulcis Infirmorum conſolatio, ac omni-

omnium afflictorum aut tentatorum refrigerium. Te enixè rogo ne obliviſcaris infimorum cordis mei ſuſpiriorum, ſicut non oblitus es lachrymarum afflicti & innocenter ad mortem condemnati Patris tui. Atq; animæ meæ ſubſidium impetra Divinæ gratiæ, quâ merear experiri in omnibus juſtis petitionibus altiſſimi favorem & exauditionem, idq; precor per eximiam lætitiam, quæ inter Te, ac Seraphicum Patrem tuum Franciſcum interceſſit dum vos reperiretis ſimul in Cælo.

Pater Noſter, Ave Maria.

IX.

Glorioſiſſime S. P. Antoni Clare Divinarum literarum ſplendor, Vigilantiſſime caſtitatis ac puritatis zelator, Amantiſſime Sanctæ Crucis Alumne. Te invoco ſuppliciter, ut mihi in hora mortis meæ aſſiſtas, meq; defendas ab infernali inimico, ut tunc confortata anima mea ore ac corde benedicat DEUM meum. Nunc obtine mihi pro reliquo vitæ meæ tempore miſericordiæ Divinæ ſubſidium, ut cognoſcant in me om-

nes

nes gentes immenſam DEI bonitatem ac glorificent ex me Nomen Sanctum ejus, idq; precor per ineffabile illud gaudium, quô replebatur Sancta anima tua, cum te æternæ conſpexiſti inſertum beatitudini, ubi facie ad faciem contemplaris DEI eſſentiam & Majeſtatem.

Pater Noſter, Ave Maria.

Pro concluſione harum precum dic 3. Pater Noſter. 3. Ave Maria 1. Credo in Memoriam trium horarum, quibus JESUS benedictus viſibiliter cum Sancto Antonio permanſit.

LITANIÆ

DE S. ANTONIO PADVANO.

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.
Pâter de Cælis DEUS. Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS. Miſer:
Spiritus S, DEUS. Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus DEUS. Miſerer:

San-

Sancta Maria.
Sancta DEI Genitrix.
Sancta Virgo Virginum.
S. Antoni de Padva.
S. Antoni Ordinis Minorum decus.
S Antoni Lilium Virginitatis.
S Antoni Gemma Paupertatis.
S. Antoni Forma Obedientiæ.
S. Antoni Speculum Abſtinentiæ.
S. Antoni Vas redolens puritatis.
S, Antoni Stella ſplendens Sanctitatis.

Ora pro Nobis.

S. Antoni Ornamentum Morum.
S. Antoni Pulchritudo Paradiſi.
S. Antoni Arca Teſtamenti.
S. Antoni Armarium Divinarum Scripturarum.
S, Antoni Doctor Veritatis.
S, Antoni Prædicator Gratiæ.

Ora pro Nobis.

S. Antoni Extirpator Vitiorum.
S. Antoni Seminator Virtutum.
S. Antoni Malleus hæreticorum.
S. Antoni Pavor Infidelium.
S. Antoni Conſolator Afflictorum.
S. Antoni Conſcientiarum Scrutator.
S, Antoni Martyr deſiderio.
S. Antoni Terror dæmonum.

Ora pro Nobis.

S. Antoni Horror inferni.
S. Antoni Jugis Patrator Miracu lorum.
S. Antoni Rerum deperditarum restitutor.
Ora pro No:
Propitius esto. Parce Nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi Nos Domine.
Ab omni malo.
Ab omni peccato.
Ab insidijs diaboli.
A peste, fame & bello.
A morte perpetua.
Per merita S. Antonij.
Per ardentissimum amorem S. Antonij.
Per Propheticum Spiritum S. Antonij.
Libera Nos Domine.
Per ignitam prædicationem S. Antonij.
Per Zelum Martyrij S. Antonij.
Per integerrimam Observantiam Obedientiæ, Paupertatis & castitatis S. Antonij.
Libera Nos D:
In die Judicij. Libera nos Domine.
Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut ad veram pænitentiam nos perducere digneris. Te rogamus audi N:
Ut ignem divini amoris in nobis accendere digneris. Te rog:

Ut

Ut patrocinio ac protectione S. Antonij nos perfrui concedas.
Ut meritis S. Antonij Veram contritionem humilitatem, donum lachrymarum, ac Sanctam contemplationem nobis tribuas.
Ut intercessione S. Antonij mundum, Diabolum, ac carnem nos perfectè relinquere facias.
Ut Sancti Antonij suffragijs se commendantibus in omni necessitate adesse digneris.
Ut nos exaudire digneris.
Fili DEI.

Te rogamus audi Nos.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Parce Nobis Domine.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Exaudi Nos Domine.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Miserere Nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.

Responsorium ad S. Antonium.

Si quæris miracula, Mors, error, calamitas.
Dæmon, lepra fugiunt, ægri surgunt sani,

Cedunt mare, vincula, membra, ref
  què perditas,
Petunt, & accipiunt Iuvenes & cani,
Pereunt pericula, cessat & necessitas
Narrenthi qui sentiunt, dicant Padvani,
Cedunt mare, vincula, membra, ref-
  què perditas,
Petunt, & accipiunt juvenes & cani,
Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.
Cedunt mare, vincula, membra, ref-
  què perditas
Petunt, & accipiunt juvenes & cani.

℣. *Prœdicator œgregie ora pro nobis Antoni Beatissime.*

℟. *Ut tua interventione persipiamus gaudia vitœ.* Oremus.

Mitissime ac Clementissime JESU, qui Beatum Antonium Confessorem tuum perpetuis illustras Miraculorum splendoribus, concede propitius, ut quæ per ejus Merita fideliter petimus, per ejus intercessionem efficaciter consequamur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Oratio ad S. Bernardinum Senen:

Sancte & gloriose Bernardine, Confessor Domini Nostri JESU Christi

ſti & prœdicator Nominis, ejus ferventiſſime, rogo te per viſcera miſericordiæ ejusdem Domini Noſtri JESU Chriſti, ut ſubvenias mihi Famulo tuo N. in omnibus anguſtijs & Neceſſitatibus meis, ad te nunc ſuſpiro & cor meum erigo, teq; mihi in Patronum & Advocatum fideliſſimum eligo, tuæq; protectioni animam meam & corpus comitto, & ſemper commendo. Tu Clementiſſime Pater eſto mihi in tribulatione Conſolator, in omni Neceſſitate Adjutor, in omniq; tentatione refugium, ſuccurre mihi Pater Sancte, quatenus malos ac pravos Mores, & omnia peccata, poſſim, vellim, ſtudeamq; vitare, Et vitam meam ſine aliorum ſcandalo & omni infamia ducere, & in laude DEI tranſigere, & ita ad cæleſtem Patriam, quam feliciter pervenire, & faciem JESU Chriſti ſpecioſiſſimam jugiter cernere. Qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Reſponſorium ad S. Petrum de Alcantara.

Domine JESU Chriſte, cui Sanctus Pe-

Petrus adeo fideliter in vita servivit, ut in tempore iracundiæ fieret reconciliatio. Exaudi propter Eum preces Noſtras, & da nobis ſalutem animæ & corporis. Qui famulæ tuæ Thereſſiæ dixiſti, te ſemper in Petri nomine petentes exauditurum. Exaudi propter Eum preces noſtras, & da nobis ſalutem animæ & corporis.

Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto. Exaudi propter Eum preces noſtras, & da nobis ſalutem animæ & corporis.

℣. *Ora pro nobis B. Petre.*

℟. *Ut digni efficiamur &c.*

Oremus.

DEUS, qui Beatum Petrum Confeſſorem tuum admirabilis pænitentiæ & altiſſimæ contemplationis munere illuſtrare dignatus es, concede propitius: ut ejus ſuffragantibus meritis carne mortificati cæleſtium donorum participes fieri mereamur. Per Chriſtum Dominum Noſtrum, Am.

Antiph: ad S. Simonem de Lipnica.

O Nova lux Poloniæ, Clarum ſidus Cracoviæ,

Fer-

Fervens verna tu Mariæ, Summæ Matris Clementiæ

Florens Rosa munditiæ, Felix prole Simon pie,

Francisci Observantiæ, Fer beate præsidium.

Tandem cæli Nobilium, Fac consortes nos Civium.

℣. *Precare DEUM Beate pro nobis Simon.*

℟. *Ne devincat Nos callidus dœmon.*

Oremus.

Da quæsumus omnipotens & misericors Deus, ut B. Simonis Confessoris tui præclara Nobis merita proficiant, & tua gratia, quam precamur nos dignos efficiant, in qua firmati, tuæ gloriæ simus annumerati. Per Dominum, &c.

Oratio ad SS. Patronos Ordinis.

Sancte Francisce Peter Amande ac Dilectissime rogo te per sacra stigmata Domini Nostri JESU Christi, ut adjuves me regere quinq; sensus corporis mei ad beneplacitum & velle DEI Omnipotentis, perfice in me regularem disciplinam, quam tu incepisti, & obtine mihi a Domino

Deo

Deo contritionem, devotionem, fidem, ſpem, Charitatem, humilitatem, patientiam, caſtitatem animæ & corporis, & Sanctam Obſervantiam in verbis & factis, & omnibus his veram perſeverantiam, ut con ſummato vitæ præſentis curſu, ad te pervenire merear, ubi tu gaudes de percepto præmio laborum tuorum, & ut tibi ibidem congaudere merear, ubi omnis triſtitia exterminabitur, & omnis dolor effugiet, & ſempiterna manebit lætitia, quam mihi JESUS Chriſtus Mariæ Virginis Filius per interceſſionem tuam S. Pater concedat, Amen.

Hymnus ad S. Patronum diei,

O N. Pater bone, dulcis Ductor & Patrone,
Nobis fer ſuffragia, Naufragantes in hoc mari.
Tuo ductu ſalutari, duc ad vitæ bravia.
O Præclare tu dignare, delictorum impetrare,
Nobis a Chriſto veniam, ut poſſimus reſpirare
Et exceſſus emendare, Conſecuti gratiam,

Con-

Confer vitæ ſanctitatem, corpori da ſanitatem.
Et quieta tempora, Auge veram charitatem.
Cordium da puritatem, nos langventes robora,
Vitæ noſtræ rege curſum, poſt hanc vitam transfer ſurſum. [plari,
Animas ad gaudia, Ubi Deum contem-
Tibi quoquè ſociari, poſſimus in gloria.

. *Ora pro Nobis N,*
℟. *Ut digni efficiamur, &c.*

Oremus.

DEUS tuorum gloria Sanctorum, præſta quæſumus: ut interceſſione Sancti tui N. Patroni mei liberer a cunctis malis animæ & Corporis, ac eodem Duce, comiteq; ſecurior ad vitam perveniam ſempiternam, Am.

QINQUENNA

Seu Modus Conciliandi Patrocinium S. Joannis NEPOMUCENI.

Feria quarta I.

Jejunium, Confeſſio, Communio,

ſive Miſſæ celebratio & ſequens Devotio perſolvenda.

Antiphona Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabahoth, plena eſt omnis terra gloriæ ejus.

Quinquè Pater Noſter & Ave, & 1. Credo.

℣. *Domine DEUS meus in te ſperavi.*

℟. *Salvum me fac ex omnibus perſequentibus, & libera me.* Pſal: 7.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne DEUS, qui Joſeph juſtum de calumnia, Suſannam de falso crimine, & ſervum tuum David de maledictis Semei liberaſti, concede propitius: ut qui Sacerdotis tui Joannis Nepomuceni eximiam in tegendis proximi delictis charitatem, & defendendo honore fortitudinem recolimus, ejus etiam Patrocinium contra detractorem hominem, & accusatorem diabolum, tam ad avertendam infamiam in hoc mundo, quam ad præcavendam confuſionem in extremo judicio ſentiamus. Concede quæſumus omnipotens DEUS, ut qui per merita S.

Joannis Martyris tui, protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati a malis omnibus ſecura mente tibi ſerviamus.

Protector in te ſperantium DEUS, ſine quo nihil eſt validum nihil ſanctum, multiplica ſuper Nos miſericordiam tuam, ut te rectore, te Duce, ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Per Dominnm &c.

Feria quarta II.

Jejunium, Confeſſio &c. & ſequens devotio perſolvenda.

Antiphona: Sanctus &c.

Quinq; Pater Noſter, & Ave, 1. Credo.

℣. *Intende animæ meæ & libera eam.*

℟. *Propter inimicos meos eripe me.*

Pſalmus 68.

Oremus.

Domine JESU Chriſte Fili DEI vivi, qui conceptus de Spiritu Sancto, in noctis ſilentio natus ex Maria Virgine, hujus Matris tuæ Immaculatæ honorem ab omnis mali ſuſpicione per Nutritium tuum Sanctum Joſeph illæſum præſtitiſti, concede propitius, ut in diffamationis pe-

periculi defenſorem boni Nominis, etiam Sanctum Joannem Nepomucenum habere mereamur.

Preces Noſtras quæſumus Domine clementer exaudi, & per interceſſionem Sancti Joannis Nepomuceni contra cuncta nobis adverſantia dexteram tuæ Majeſtatis extende.

Adeſto ſupplicationibus noſtris Omnipotens DEUS, & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges conſvetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum, &c.

Feria quarta III.

Jejunium Confeſſio, *ut ſupra.*

Antiphona: Sanctus, &c.

Quinq;Pater Noſter,& Ave & 1.Credo.

℣. *Domine ante te omne deſiderium meum.*

℟. *Et gemitus meus a te non eſt abſconditus.* Pſal: 37.

Oremus.

Spiritus Sancte Conſolator optime, qui lingvarum ignearum ſpecie apparens, ſana & ſancta omnia eos loqui docuiſti, effice tuâ gratiâ quæſumus: ut lingvæ malignantium, nec no-

noſtram lacerent famam, nec excrucient vitam, ſed S. Joannis Nepomuceni exempla ſectando, cuncta ad ædificationem proferant, & deſtructionem allatura reticeant.

Omnipotens ſempiterne DEUS Mæſtorum conſolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces in tribulatione ſua clamantium, ut per interceſſionem B. Joannis Nepomuceni in neceſſitatibus ſuis miſericordiam tuam gaudeant adfuiſſe.

Pateant aures miſericordiæ tuæ Domine precibus ſupplicantium, ut & petentibus deſiderata concedas, fac eos, quæ tibi ſunt placita, poſtulare. Per Dominum, &c.

Feria quarta IV.

Jejunium Confeſſio &c.

Antiphona Sanctus.

Quinque Pater Noſter & Ave & 1. Credo.

℣. *Converte Domine & eripe animam meam.*

℞. *Salvum me fac propter miſericordiam tuam.* Pſal: 6.

Oremus.

DEUS clemens, Deus miſericors,

De-

Deus cordis mei, ſine cujus nutu nec capillus capitis noſtri perit, te per glorioſiſſima merita famuli tui Joannis Nepomuceni, qui amore tui elegit potius ſibi de ponte Pragenſi in Moldavam detrudi, & ſubmergi, quam Sacroſanctum Regi, confeſſionis ſecretum revelare, ſuppliciter exoro, ut ab omni famæ ac confuſionis periculo, quod tu mihi evenire prænoſcis, ex infinita miſericordia tua eripere & liberare digneris, nt non dominentur omnes inimici mei, ita ſpero in miſericordia tua Deus meus, qui es benedictus in ſæcula.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut qui in afflictione noſtra de tua pietate confidimus, contra adverſa omnia, tua ſemper protectione muniamur.

Deus qui nos in tantis periculis conſtitutos pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere, da nobis ſalutem mentis & corporis, ut ea, quæ pro peccatis noſtris patimur, te adjuvante vincamus. Per Dominum &c.

Fe-

Feria quarta V.

Jejunium, Confeſſio ut ſupra.

Antiphona Sanctus &c.

Quinque Pater Noſter & Ave & 1. Credo.

V. Eripe me Domine ab homine malo.

℟. *A viro iniquo eripe me.* Pſal: 89.

Oremus.

Exaudi clementer quæſumus omnipotens Deus preces noſtras, quas in honorem B. Joannis Nepomuceni Martyris tui Tibi offerimus, ut ipſius meritis & interceſſione adjuti, ab infamia & confuſione temporali & æterna liberati, antequam mori contingat ex reatu peccatorum noſtrorum per veram Confeſſionem juſtificemur, atque ad portum æternæ felicitatis pervenire mereamur. Per Dominum &c.

Quæſumus omnipotens Deus vota humilium reſpice, atque ad defenſionem noſtram precibus & meritis S. Joannis Nepomuceni dexteram tuæ Maieſtatis extende.

Omnipotens & miſericors Deus Univerſa nobis adverſantia exclude ut mente & corpore pariter expediti,

diti, quæ tua ſunt liberis mentibus exequamur. Per Dominum &c.

ORATIONES.

Pro Impetranda Felici Morte.

Omnipotens ſempiterne Deus qui Ezechiæ Regi te lachrymabiliter deprecanti vitæ ſpatium protendiſti, concede mihi indigno famulo tuo, ante diem Mortis meæ tantum vitæ ſpatium, ut omnia peccata mea valeam deplorare, & veniam ac gratiam te miſerante merear accipere.

Omnipotens, benigne, ac miſericors Deus, te oro humiliter per mortem Filii tui, concede mihi horam felicem ac beatam cum anima mea diſceſſura eſt è corpore meo. Per Eundem Chriſtum Dominum &c.

Miſericordiſſime Domine Jeſu per lachrymas tuas, per agoniam, & ſanguineum ſudorem tuum, per mortem tuam rogo te, à ſubitanea & improviſa morte libera me.

O Benigniſſime Domine Jeſu per Acerbiſſimam & ignominioſiſſimam

fla-

flagellationem ac coronationem tuam, per Crucem & paſſionem tuam humillimè te precor, ne permittas me ſine ſacramentis morte repentina ex hac vita migrare.

Sanctiſſime Domine Jeſu Chriſte & Pater mi dilectiſſime, rogo te per illam amaritudinem Mortis, quam in cruce pro me ſuſtinuiſti, maximè cum benedicta anima tua egrediebatur de corpore tuo, miſerere animæ egredienti de corpore meo.

Oratio ad B. V. Mariam.

O Dulciſſima Jeſu Mater! Virgo Maria, Patrona mea, viſceribus miſericordiæ plena ſucurre mihi miſero peccatori, antequam mors ſubitanea & improviſa superveniat, ne ſubito & imparatus de hoc mundo tranſeam, ora pro me Maria Virgo benedicta, ob Unigeniti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti Paſſionem & mortem amariſſimam, ut peccati deteſtatione, diaboli & operum ejus abrenuntiatione, vera contritione, pura ac humili confeſſione, pænitentiâ, ſatisfactione, digna Dei acceptione & proximi dilectione Filio

lio

lio tuo reconciliatus de hoc mundo transſeam, & fac mecum miſericordiam tuam o Beatiſſima Virgo Maria Mater Dei! in illa tremenda hora, quando ſpiritus vitales deficient, & mortua lingua ſe nequibit movere ad invocandum te, neque oculi mei lucem capere poterunt, aureſque meæ nulli voci pateſcent. Memor eſto o Maria precum quas nunc fundo ad aures tuæ pietatis, & ſubveni mihi in illa ultima hora neceſſitatis meæ, ut liberer a miniſtris diaboli, & collocer cum Chriſti fidelibus Filii tui ſervis & amicis. Amen.

Oratio ad S. Barbaram.

O Sancta Barbara Virgo & Martyr, quodcunque Sponſi tui cæleſtis viribus potes, obſecro, mihi in mortis articulo ſuppedites, adjuva me Miſerum, ne in peccatis moriar. Effectum tunc habeat a Chriſto tibi facta promiſſio, cum fidem ejus tuo ſanguine Virgineo conſecrares, recordetur ſponſus tuus illius ardentiſſimæ Charitatis tuæ, tuaque interceſſione animam meam è corpore exire

exire non ſinat, niſi Sacramentali Confeſſione expiatam, & Sanctiſſimô Euchariſtiæ Sacramentô refectam, ut illum tecum in æternum amare & laudare valeam. Amen.

Suſpiria pro Felici Morte.

O Sacroſancta & ſuper omnia tremenda, amanda & adoranda Perſonarum Trinitas, & Deitatis unitas, quæ innocentem Conſtantinopoli puerum in cælum raptum, a celeſtibus Angelorum Muſicorum tuorum Choris, reſonante Kyrie eleyſon ſacroſanctum illud tibique longe chariſſimum triſagon in illa ſchola diſcere, nosque ab illo terris reddito doceri voluiſti.

Sanctus Deus! Sanctus Fortis! Sanctus Immortalis Miſerere nobis, quô dictô horendos ſex menſium terræ Motus quieſcere juſſiſti, & illum Sancta Morte è mundo exemiſti. Deus o Deus meus! doce me miſerabilem Creaturam tuam ſublevare ad te: & à Sanctorum tuorum ibi triumphantium & hic militantium exemplis diſcere, amare te, laudare te, cum Sanctis Angelis tremere

mere & adorare te, difcam hæc & doceam Kyrie eleyfon, Domine Miferere.

Sancte Deus da mihi fanctè vivere in timore tuo.

Sancte Fortis da mihi fortiter mori in amore tuo.

Sancte Immortalis, da mihi morienti fanctam immortalitatem. Amen.

Domine Jefu Chrifte, qui pro falute humani generis quinque vulnera in cruce pati voluifti, tribue quæfo humillimè, ut per reverentiam horum & omnium vulnerum tuorum, ac per faluberrimam mortem tuam abfolvi merear ab omnibus peccatis meis, & præfentem vitam bono fine terminare, ac à dulciffimæ Vifionis tuæ contemplatione nunquam feparari. Qui vivis & regnas &c.

O Patientiffime Jefu! rogo te per acerbiffimos dolores, quos in cruce fuftinuifti cum facratiffima anima tua egreffa eft de fancto corpore tuo, miferere animæ meæ in exitu fuo.

Ave candidum lilium fulgidæ femperque tranquillæ Trinitatis, Rofaq; præfulgida cælicæ amænitatis, de qua

qua nafci, & de cujus lacte pafci Rex cælorum voluit, divinis influxionibus animas noftras pafce.

O Sancta Maria! ficut Deus Pater per omnipotentiam fuam te potentiffimam effecit, ita mihi quæfo adfis in hora mortis meæ expellendo a me omnem contrariam poteftatem & da mihi in vera fide mori. Amen. *Ave Maria &c.*

O Sancta Maria ficut Deus Filius tanta fui cognitione te illuminavit, ut totum cælum illumines, ita mihi quæfo adfis in hora mortis meæ, expellendo àme omnem contrariam poteftatem, & da mihi in firma fpe mori. Amen.

Ave Maria &c.

O Sancta Maria ficut Spiritus Sanctus, fuum amorem tibi plenè infudit, ita mihi quæfo adfis in hora mortis meæ, expellendo á me omnem contrariam poteftatem, & da mihi in ardente amore Dei & Tui mori. Amen.

Ave Maria &c.

O Sanctiffima Dei Genitrix Virgo per acerbiffima paffionis Jefu Chrifti

ſti Filii tui merita te ſupplex oro, ut ſi forte hac die me mori contigerit, mei memineris. Tuis virgineis manibus animam meam & corpus comitto. Amen.

Pater Noſter, Ave Maria.

O Compatientiſſima Mater Maria commoneo te illius voluntatis, quâ ad imitationem Filii tui Mortem eligere, eamque ſubire voluiſti, rogo te per illam & omnes per hanc pro nobis obtentas gratias, ut me tuarum participem facias, nempe puritatem mentis & corporis, felicem mortem, & clemens judicium mihi impetrare velis. Amen.

Ave Jeſu Panis Angelorum.
Vita & ſalus miſerorum.
Ave Jeſu vita noſtra.
Ad te nobis viam monſtra.
Ave Jeſu Dulcis totus.
Deliciarum fons & hortus.
Fac me Jeſu te invocantem.
In Charitate tua conſtantem.
Ad te ſuſpiro in hoc momento.
Jeſu mei in morte memento.

1. Omnes Sancti & Sanctæ Dei intercedite pro me.

2.

2. Omnes Sancti Patroni mei, a quibus beneficium unquam accepi estote Custodes animæ meæ nunc & in hora mortis meæ.
3. Omnes Sancti, quos in Morte ma ioribus, quam alios doloribus cumulavit Deus, estote custodes animæ meæ nunc & in hora mortis meæ.
4. Omnes Sancti quos quocunque modo singulari ad bene moriendum juvit Deus. Estote custodes &c.
5. Omnes Sancti, qui eos, qui in horrendo mortis agone versantur soletis singulariter adjuvare, estote &c.
6. Omnes Sancti qui absque igne purgatorii ad beatam vitam devenistis, estote custodes &c.
7. Omnes Sancti in quorum laudem unquam aliquid cogitavi, oravi, dixi, scripsi, audivi, estote &c.
8. Omnes Sancti quorum sacras reliquias unquam visitavi, gestavi, colui, estote custodes &c.
9. Omnes Sancti qui fortè hic viventes, olim per me a Deo adjuti,

ti, & in Cælum evecti estis, estote custodes &c.

10. Omnes Sancti qui in eo, in quo ego sum vitæ instituto Deo excellentissimis modis servistis, estote &c.

11. Omnes Sancti qui dum hic viveretis morientibus juvandis singulari studio addicti fuistis, estote &c.

12. Omnes Sancti singularis Divini amoris Magistri & exempla, estote &c.

13. Omnes Sancti qui me maximè juvare potestis ad id, quod mihi pro salute mea, proximorumque maxime necessarium est, estote &c.

14. Omnes Sancti, quos, eo die, quo moriar, felici æternitate donavit Deus, estote nunc & in hora mortis meæ custodes animæ meæ, & eorum, qui eodem die mecum sunt morituri, orate, adjuvate nos.

Proximiores dispositiones ad mortem habentur in N. Breviariis & Diurnal:

Inci-

Inticamenta ad bene vivendum & moriendum.

Unum porro eſt Neceſſarium. Lucæ 10.

1. Animam habes *Unicam* quæ si ſemel perierit, aliam ſubſtitu ere non poteris,
2. Morte morieris *unicâ* certiſſimâ, modo & horâ incertiſſimâ, si mors hæc mala fuerit, actum eſt.
3. Judicium habes *unicum*, coram quo si cauſa cadis, appellare ad alium non potes.
4. Cælum ſperas *Unicum*, a quo si excluſus fueris (& arcta eſt ianua) infernus te certò manet.
5. Æternitas ſequetur *Unicâ*, quæ si non fuerit felix, per infinita ſæcula infeliciſſimus eris.
6. Sententiam audies *unicam*, si non hanc: *venite benedicti*; neceſſario illam: *Ite maledicti*.
7. Deum habes unicum, cui si non ſervis, hoc ipſo Diaboli mancipium efficeris.
8. Jeſum Salvatorem habes *Unicum*, quem si vocantem non audies, ipſe in interitu tuo flebiliter ridebit.

Unum denique eſt neceſsarium aut bene æternum, aut male, Tu, ut bene tibi ſit æternum, dum tempus eſt bene vive, & vale.

PRECES VESPERTINÆ.

In Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Amen.

Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miſerere nobis.

Ulterius procede per quinque puncta.

1. *Lauda Deum gratias agendo.*

O Infinita Bonitas te laudo, glorifico, & gratias ago pro omnibus beneficiis tuis, quæ hodie mihi, & totâ vitâ contuliſti.

2. *Ora Deum.*

O Immenſa Maieſtas, Lux vera & indeficiens, illumina oculos meos ut cognoſcam peccata mea, inflamma affectum, ut dignè ea deteſter, quo purificatus mente, Tibi Deo meo dignè merear famulari.

3. *Diſcute Conscientiam.*

Examina Conſcientiam, & aſcende quotidie Tribunal mentis tuæ.

Mo-

Monet Divus Augustinus *in lib; Conf:* Institue examen.

1. Circa cogitationes: *an fuerunt otiosæ, Vanæ, superbæ, impuræ, gulosæ, acediosæ invidiosæ, iracundæ, suspiciosæ, temerariæ, fraudulentæ, & his similes.*

2. Circa verba: *An otiosa, inconsiderata, superba, mendacia, turpia, iracunda, vana, detractoria, contumeliosa, mordacia simulatoria, adulatoria, imprecatoria, juratoria, blasphema, exprobratoria, & his similia.*

3. Circa opera: *An otiosa, seu in nullum finem bonum directa, vana seu tantum in gratiam hominum facta, inordinata seu in finem minus decentem, non debito modo, tempore, loco, facta; perfunctoria seu sine debita attentione & devotione, immorigera, seu contra præcepta Dei, vel Ecclesiæ, contra debitum proprii officii, Regulæ, status, & remorsum conscientiæ, acediosa seu cum languore & tædio animi peracta, omissa & his similia.*

4. *Delicti veniam posce.*

Intime doleo Domine Jesu Deus meus de peccatis meis, quibus ego indignissimus tuam Maiestatem, quam ex toto corde amo, impudentissimè offendi, jam detestor fugereq; per tuam gratiam, & pro his satisfacere quantum possum promitto.

5. *Propone seriam emendationem.*

O Æterna Sapientia Christe JESU, propono cum tua gratia, majori diligentia, vitæq; emendatione, commissa ac neglecta compensare atqué oro, ut si hac nocte hinc me discedere velis, pro tua misericordia mecum agas, si veró cogitas vitam meam diutius prorogare, gratiam largiaris, sobrié, justé & pié vivendi, in hoc sæculo, Amen.

Commendatio.

In benedictas manus tuas D. Deus, & in sinum misericordie tuæ o Virgo Maria, in Vestram quoq; protectionem, o S. Michael, S. Angele Custos meus, & omnes SS. Patroni mei, S. Joseph. S. P. N. Francisce, S. Antoni Padvane! SS. Joachim & Anna, omnesq; Electi Dei corpus

&

& animam meam nunc & ſemper committo.

TESTAMENTUM RELIGIOSUM.

In dies veſperi faciendum.

In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Ego Animam meam trado, & commendo Deo meo, corpus autem terræ vermibus & corruptioni. Libens deſero omnes hujus vitæ illecebras, quæ nihil ſunt, niſi Vanitas Vanitatum & omnia Vanitas. Deteſtor peccata mea, quia diſplicent Deo infinito bono, quem amo ſuper omnia; ex amore Dei animitus ignoſco omnibus inimicis meis.

Credo in Deum unum in eſſentia, & trinum in Perſonis Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quia eſt Creator, Redemptor, & Sanctificator meus, infinitè potens, Sapiens & bonus. Credo firmiter quidquid credendum Sancta Mater Ecclesia proponit.

Spero a divina bonitate remiſſionem peccatorum, gratiam & vitam æter-

æternam. Amo Deum ex toto corde meo, ex tota mente, & ex omnibus viribus meis.

Subijcio me penitûs & perfectè omni illi, quidquid de me Sanctissima & semper adoranda Dei voluntas disposuerit. Paratus sum facere, & pati, vivere & mori uti placitum est ante te, mi Deus! fiat Voluntas tua, sicut in cælo & in terra.

Ante stratum scribe in fronte has 4. Literas: J. N. R. J. & simul pronuntia.

JESUS Nazarenus Rex Judæorum, Hic Titulus triumphalis Salvatoris mei JESU Christi præservet me a subitanea; improvisa, & mala morte: Fugite partes Adversæ, vicit Leo de Tribu Juda, Radix David.

Dum stratum ingrederis.

In Nomine D. N. J. Christi Crucifixi cubitum eo, qui me redemit prætioso suo sangvine. Ille me ✠ benedicat, regat, & hac nocte ab omni malo custodiat, & ad vitam perducat me æternam. Amen.

In ſtrato jam cubans.

In Manus tuas, Domine commendo Spirtum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis in pace in idipſum dormiam & requiescam.

In Corona 7. Gaudior Fol: 92. omiſsa oratio: ponatur & dicatur ſequens.

O Dulciſſima Virgo Maria Mater DEI, Patrona & advocata mea, rogo te per gaudium cordis tui, quod habuiſti.

1. *In Annuntiatione* Filii tui &c.

APPENDIX

Ad Devotionale Franciscanum.

Comprehendens Diversa.

Sexaginta ſententiæ Spirituales Notabiles.

1. Coronam in Religione labor præcedit & pugna.
2. Tutus in Religione vivit, non qui ſibi, ſed Deo vivit.
3. Semper deficit Religioſus, qui in ſua

ſua vocatione non ſemper proficit.

4. Religioſus, qui aliena curat, ſibi ſuisque deeſt.

5. Deo ſervire non poteſt Religioſus, qui ſibi non dominatur.

6. Non quamdiu in Religione fueris, ſed quam bene in ea vixeris, refert.

7. Furtum facit, qui ſine fructu in Religione vivit.

8. Quomodo morietur in Domino Religioſus, qui in vita pro Domino non laboravit.

9. Male utitur cella, qui in ea vel non agit cum Chriſto, vel non laborat pro Chriſto.

10. Neſcit ſe amare Religioſus, qui nimium ſibi indulget.

11. Vult Deus Servum ſuum cordatum, non delicatum.

12. Non Deo, ſed ſibi ſervit, qui in Dei ſervitio ſua procurat commoda.

13. Væ! ve illi, qui inter bonos malus eſt.

14. Non eſt humilis Religioſus, qui dedignatur, vel non optat ſperni.

15. Non eſt pauper, qui paupertatis, non ſentit incommoda

16. Non eſt caſtus, qui caſtitatis hoſtes non illico fugat.

17. Non eſt obediens, qui obediendo proprium ſequitur judicium.

18. Religioſum ornat quidem ſcientia, ſed virtus coronat.

19. Ve tibi qui alios verbis inſtruis, & exemplo deſtruis.

20. Venenum Religioſi, propria voluntas.

21. Cum per urbem incedis, memento te Religioſum eſſe, non pictorem.

22. Væ Religioſo, cui cordi magis eſt ſanitas, quam Sanctitas.

23. Servus Dei non vivit ut comedat, ſed comedit, ut vivat, & ſerviat Deo.

24. Servus Chriſti pro Dei amore non curat propria incommoda.

25. Religioſus negligens, lætitia dæmonis.

26. Religioſus curioſus, oblivioſus ſui.

27. Quo magis laboras pro Chriſto, eo plus debes Chriſto, quia fructus ſuus eſt.

28. Absit a Religioso vocem habere Jacob, & manus Esau.
29. Lingua Religiosi cordis, mentisque tuba.
30. Religiosorum exempla, Mors & vita sæcularium.
31. Quomodo eris lux mundi, si neque tibi luces?
32. Nescit lucrari Christum, qui nescit pati pro Christo.
33. Bonus Religiosus non minus charus est Deo infirmus, quam sanus.
34. Non erit clamor in Valetudinario si patientia fuerit in firmo, & charitas in infirmario.
35. Non Religiosè vivit, qui venialia non curat.
36. Si venialia in sæculari displicent Deo, nunquid placebunt in Religioso?
37. Religiosum otiosum dæmon venatur & capit.
38. Religiosus litigiosus, officialis dæmonis.
39. Non est Familiaris Deo, qui non est amicus Orationis.
40. Extra sæculum non dum est Religi-

ligiofus quem affinium nimia follicitudo tenet.

41. Veluti pila ludit dæmon Religiofo Vano.

42. Alijs prodeffe & fibi nocere, ftultitia eft, non charitas.

43. Bonus Religiofus fpernit mundum, & gaudet fe fperni à mundo.

44. Servus Chrifti ftudet effe Sanctus, & non cupit videri Sanctus.

45. Nihil Chrifto dedifti, fi ei cor tuum totum non dedifti.

46. Religiofus fervens, flagellum dæmonum.

47. Religiofus iracundus, fulmen inferni cuncta perturbans.

48. Religiofus manfvetus, decentia ftatus, & ornamentum Religionis.

49. Quid tibi proderit reliquiffe fæculum, nisi pænitentiam in Religione egeris?

50. Servus Chrifti patienter tolerat, parce loquitur, & multum laborat pro Chrifto.

51. Religiofus indifferens, Religionis gemma prætiofa.

52. Te Reliquiffe mundum bonum eft; fed agere, ut mundus jam reliquat te, melius eft.

53.

53. Jlle verus eſt Religioſus, qui verè dicit: *Deus męus & Omnia.*

54. Religioſus proprietarius, plus amittit, quam furatur.

55. Inquietè vives, si una in te regnet paſſio, etiamſi reliquæ mortificatæ ſint.

56. Non Superiorem, ſed ſe fallit ſubditus, qui pro nolle dicit ſe non poſſe.

57. Qui ſuum Superiorem non habet loco DEI, nec DEUS habebit Eum loco Filij.

58. Si in Religione inter bonos non es bonus, quomodo in ſæculo inter malos bonus eris.

59. Qui in Religione pacem vult habere cum Fratribus, nemini contradicat.

60. Ingratus Religioſus ille eſt, qui putat ſe plus contuliſſe Religioni, quam accepiſſe ab ea.

OFFICIA DEFUNCTORUM.

Per Annum dicenda.

Totum Officium Defunctorum pridiè cum Veſperis, ſolemne *pro*

No-

Noſtris defunctis Fratribus, Sorori bus & Benefactoribus, ac pro ſepultis in Noſtris cœmeterijs. Ter in Anno celebratur, ſcilicet:

1. Die prima non impedita poſt Dominicam Septuageſimæ.
2. Prima die ante Feſtum S. Mariæ Magdalenæ.
3. Proxima die ante feſtum S. Michaelis Archangeli.

Simile quoq; Officium fiat *pro Defunctis Parentibus Omnium Fratrum Noſtrorum* ultima die ante Adventum.

Item infra Octavam S. P. N. Franciſci *pro Benefactoribus Fratres Noſtros in itinere hoſpitiò recipientibus.*

Deniq; poſt feſtum OO. SS. Ordinis fiat totum Officium Defunctorum cum Veſperis ſub ritu duplici, Generaliſſimum, *pro Defunctis Fratribus & Sororibus Omnium Statuum trium Ordinum, nec non pro ipſorum Parentibus, & Sepultis in eorundem cœmeterijs.* Ubi Oratio *DEUS veniæ largitor.*

Pro quolibet dictorum ſex Officiorum Laici dicent 100. *Pater & totidem*

dem Ave Maria cum *Requiem æternam &c.*

Expedit etiam, ut ea ab omnibus a Choro legitimè excusatis, vel impeditis, in particulari dicantur. Ajunt Statuta.

Suffragia verò quotidiana.

Pro Benefactoribus Vivis atq; Defunctis,

1. Missa Conventualis. Cui tota Communitas ad esse debet.
2. Totum Officium parvum B. V. M. dictum *Officium Gratiarum* ex eo, quia pro Benefactoribus offertur.
3. Post Officium Gratiarum Psalm *De profundis* cum Orat: *Fidel: &* ante Prandium.
4. Sacerdotes debent in Missa quotidianum facere *Memento* pro Benefactoribus vivis atq; defunctis.
5. Clerici absolvant una hebdamada 5. Officia Defunctorum, altera autem 5. Coronas. B. V. M. vel permiscendo. Laici vero dicant 500. preces.
6. Disciplina facienda ferijs 2. 4. & 6. die festo non impeditis, applicatur pro Benefact: Viv: ac Defunct: iisq;

iiſq; diebus poſt Completorium dr. Pſalm: *Deus miſereatur &c.*

7. Suffragia quoq; Abſolvuntur in Viſitationibus Provincialium ac Comiſ: General:

8. Poſt Matutinum in Choro dicuntur 5. Pater & Ave. eâ intentione. 1. pro Statu Spirituali. 2. Pro Statu ſæculari. 3. pro Omnium Ordinum Religioſorum præcipuè Ordinis Noſtri perfectione. 4. pro Concordia Principum Chriſtianorum. 5. pro Converſione Peccatorum, infidelium & Hæreticorum. Præterea Pſal: *De profundis* cum Orat: *Fidel:* tandem 1. Pater, Ave, & Credo.

9. Poſt Completorium dicuntur 3. Pater, Ave, & 1. Credo eâ intentione 1. pro Negligentijs hac die commiſſis 2. Pro Parentibus FF. vivis atq; Defunctis. 3. pro Benefactoribus, atq; laborantibus in commodum Ordinis Noſtri.

IN-

INDULGENTIÆ PLENARIÆ.

Pro Omnibus Christi Fidelibus confessis & communicatis in Ecclesiis Nostri Ordinis a primis Vesperis usq; ad occasum Solis diei sequentis, in perpetuum concessæ in sequentibus Festis.

In Januario.

Die 16. *in Festo* SS. Bernardi & cæterorum Proto MM. Ord:

Die 31. *in Festo* B. Ludovicæ Albert Vid: *In Februario.*

Die 5. *In Festo* SS. Petri Babtistæ & Soc: MM.

Die 22. *In Festo* S. Margarithæ de Cort: Vid; *In Martio.*

Die 4. *in Festo* S. Casimiri Patroni Provinciæ Nostr: L. *pro Prva eadem tantum.*

Die 9. *in Festo* S. Catharinæ Virg: Bonon: *In Aprili.*

Die 16. *in Festo* S Raphaelis Arch: *Renovatio Votorum.*

In Maio.

Die 13. *in Festo* S. Petri Regal: C.

Die 17. *in Festo* S. Paschalis Baylon. C.

Die 20. *in Festo* S. Bernardini Senen: C. *In Junio.* Die

Die 13. *in Feſto* S. Antonij de Padva. C.
Die 19. *in Feſto* B. Michelinæ Vid.

In Julio.

Dom: p: Oct: SS. Petri & Pauli Apoſtol: In Feſto B. Joannis de Ducla. C.
Idq; pro Eccleſiis Provinciarum Regni Polon: & M. D. L. tantum.
Die 9. *in Feſto* BB. Nicolai & Soc. MM. Gorgom.
Die 14. *in Feſto* S. Bonaventuræ Doct: Seraph. Epiſc C.
Die 24. *in Feſto* S. Franciſci Solani. C.

In Auguſto.

Die 2. *in Feſto* Portiunculæ.
Die 12. *in Feſto* S. M. Claræ Virg:
Die 19. *in Feſto* S. Ludovici Epis: C.
Die 25. *in Feſto* S. Ludovici Reg:

In Septembri.

Die 4. *in Feſto* S. Roſæ Virg: Viterb:
Die 17. *in Feſto Stigmatum* S. P. N. Franciſci.
Dom: p: Feſt: S. Mathei Apoſtoli pro Provinciis Polon: & M. D. Lit: in Feſto B. Ladislai dei de Gielniov. C.

In Octobri.

Die 4. *in Solemnitate* S. P. N. Franciſci. C.

Die

Die 13. *in Festo* SS. Danielis & Soc: MM.

Die 19. *in Festo* S. Petri de Alcant. C.

Die 23. *in Festo* S. Joannis a Capistr: C.

In Novembri.

Die 22. *in Festo* S. Dicaci. C.

Die 19. *in Festo* S. Elisabeth. Reginæ Ung: Vid:

Die 28. *in Festo* S. Jacobi de Marchia. C.

Die 29. *in Festo* Omnium SS. Ordinis Seraphici.

In Decembri.

Die 8. *in Solemnitate* Immacul: Concept: B. V. M. *ubiq;* & pro singulis diebus in hac Prov: Lith: per totam Octavam semel tantum infra eam ab unoquoq; Fideli lucranda ex *Concessione Pij VI. Die* 5. *Decembris* 1783.

Insuper præter hanc indulgentiam plenariam pro Eodem festo & per Octavam eædem concessæ sunt Indulgentiæ a Sixto IV. Constit: *Præ Excelsa* quæ sunt elargitæ a Sum. Pontificibus Urbano IV. Martino V. Eugenio IV. pro Festo & Octava Corporis Christi. Videlicet: *in Fe-*

sto

ſto ipſo & Octava pro Miſſa dies 400. pro Matutino d. 400. pro qualibet Veſpera d. 400. pro qualibet hora parva d. 160. *Infra Octavam qualibet die* pro Matutino dies 200. pro Miſſa d. 200. pro Veſperis d. 200. pro qualibet hora d. 80. pro Proceſſionibus ſingulis d. 200. *Vid: Ferr: Tom 4. de Indulgen: fol: 118. N. 45. & fol: 136. N. 28.*

Eædem Indulgentiæ conceſſæ ſunt abſolventibus aut Aſſiſtentibus Divinis Officiis 1. in Feſto SS. Nominis JESU 14. Januarii. 2. in Feſto Viſitationis B. V. M. 3. in Feſto Transfigurationis D. N. I. C. *Ibidem.*

Prœter has Indulgentias plenarias aliœ poſſunt Indulgentiœ lucrari in Eccleſiis Noſtris.

1. Diebus Statiorum in Miſſali Romano conſcriptis.
2. Indulgentiæ viæ Crucis, de quibus *vid: Ferr: Tom. 4. tit: Indul: fol: 121. N 59.* & in libellis Noſtris Tipis expreſſis polonico idiomate.
3. Quotidiana Indulgentia plenaria *Stationis Venerabilis Sacramenti Eucha-*

Eucharistiæ, dicta ex eo quod coram Sanctiſſimo Altaris Sacramento recitantur 6. *Pater*, 6. *Ave* cum totidem *Gloria Patri* &c. & 1. *Credo* pro exaltatione S. Matris Eccleſiæ, concordia Principum Chriſtianorum, extirpatione Hæreſum, converſione infidelium, ac pro Summo Pontifice, *Vid: Ferr: Tom.* 4. *fol:* 111. *N.* 1. Quæ Indulgentia quotidie lucranda plurimum recommendatur.

Aliæ plures Indulgentiæ ac Gratiæ ſuperabundanter conceſſæ a Sum: Pontificibus Ordini Noſtro Franciſcano, fuſius videantur *apud Ferraris Tom.* 4. *fol:* 109. *art:* 5. *per Extenſum.*

REGULA
Seraphici Patris Nostri
S. FRANCISCI

Cum Expositione compendiosissima R.P. Servatii Myricani sub Anno 1590: *Provincialis Infer: Germani.*

BULLA
D. PAPÆ HONORI III.
Supra Regulam FF. Minorum.

HONORIUS Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Fratri Francisco, & aliis Fratribus, de Ordine FF. Minorum salutem & Apostolicam benedictionem. Solet annu-

annuere ſedes Apoſtolica piis votis, & honeſtis petentium deſideriis favorem benevolum impertiri. Ea propter dilecti in Domino Filii, veſtris piis precibus inclinati, Ordinis veſtri Regulam, a bonæ memoriæ Innocentio Papa Prædeceſſore Noſtro approbatam, annotatam præpræſentibus Auctoritate vobis Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis ſcripti patrociniô communimus: quæ talis eſt:

In Nomine Domini Amen.

Incipit Regula & Vita FF. Minorum.

CAPUT I.

Regula & vita FF. Minorum hœc eſt; ſcilicet. D. N. Jesu Chriſti S. Evangelium obſervare, vivendo in obedientia, ſine proprio, & in Caſtitate. F. Franciſcus promittit obedientiam & reverentiam D. Papœ Honorio: ac Succeſſoribus ejus canonicè intrantibus, & Eccleſiœ Romanœ. Et alii FF. teneantur Fri: Franciſco & ejus Succeſſoribus obedire.

Re-

Regula & vita) Vovent Fratres totam Regulam ita, ut tamen non omni ejus parti fe obligatorie adftringant. Vovent enim se totam Regulam pro Regula habituros, fecundum mandantis intentionem: ut quædam ad obfervandum omnimode: quædam ad habenda pro falutaribus hortamentis, quæ non tam præceptorie imponuntur, quam meritorie proponuntur. Divus Bonav: in 1. & 2. Cap: Reg:

Ad quæ confilia Evangelica contenta in Regula, & quomodo obligentur late tractat Nicol: III. in declaratione fua Art: 1. & Clem: V. Item S. Bonav: in ultim: Cap: Regul:

Et alii Fratres teneantur) Ubicunquè ponitur in Regula vox *teneantur*, vim habet præcepti. Clem: V. cap: 1.

Non tamen nos fub aliquo percepto obligari ad Teftamentum S. Francifci, probat Nicol: III. Artic: 13.

De his, qui volunt vitam iftam accipere, & qualiter recipi debeant.

CAPUT II.

Siqui voluerint hanc vitam accipere,

pere, & venerint ad FF. Nostros, mittant eos ad suos Ministros Provinciales, quibus solummodo & non aliis recipiendi Fratres licentia concedatur. Ministri vero diligenter examinent eos de F de Catholica, & de Ecclesiasticis Sacramentis. Et si hæc omnia credant, & velint ea Fideliter confiteri, & usque in finem firmiter observare, & uxores non habent, vel si habent, & jam Monasterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint authoritate Diœcesani Episcopi, voto continentiæ jam emisso, & illius ætatis sint uxores, quod non possit de eis oriri suspicio: Dicant eis verbum S. Evangelii, quod vadant, & vendant omnia sua, & ea Studeant pauperibus erogare. Quodsi facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caveant FF. & eorum Ministri, ne soliciti sint de rebus suis temporalibus, ut liberè faciant de rebus suis, quidquid Dominus inspiraverit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consi-

lio

tio bona fua pauperibus erogentur. Poftea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas fine caputio, & cingulum & brachas, & caparonem ufq; ad cingulum, nifi eisdem Miniftris aliud fecundum Deum aliquando videatur. Finitô verò Annô probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam iftam femper & Regulam obfervare. Et nullo modo licebit eis de ifta Religione exire, juxta Mandatum D. Papæ; quia fecundum S. Evangelium: Nemo mittens manum ad aratrum, & afpiciens retro, aptus eft regno Dei. Et illi, qui iam promiferunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio, & aliam fine caputio, qui voluerint habere. Et qui neceffitate coguntur poffunt portare calceamenta. Et FF. Omnes veftimentis vilibus induantur, & poffunt ea repetiare de faccis & aliis petiis cum Benedictione Dei. Quos moneo & exhortor, ne defpiciant, neque judicent homines, quos viderint mollibus veftimentis & coloratis indutos, uti cibis, & potibus delicatis, fed ma-

magis unusquisq; judicet, & despiciat semet ipsum.

Si qui voluerint. Omnia, quæ ponuntur in Regula ad formam habitûs, tam Novitiorum, quam Professorum etiam, nec non ad receptionis modum ac Professionem spectantia æquipollent præcepto. Clem. V. Cap. 1.

Secundum Regulam & statuta circa recipiendorum conditiones multa est diligentia & inquisitio adhibenda, & merito. Hugo ibid. Idem præcipit Nicol: III. artic: 10.

Quibus solummodo. Licet Provincialibus, venientes ad Ordinem non solum per se recipere, sed eandem etiam potestatem aliis, considerate tamen ac discretè, committere. Nicol: III. art: 10.

Et Uxores non habent. In isto impedimento omnia alia intelliguntur, quæ possent ineptitudinem ad ingressum in Ordinem generare: sicut modus est istius Regulæ, dare ex similibus similia, & minora in maioribus implicare. D. Bonav: ibid.

Vel

Vel licentiam eis dederint. Eis, fcilicet Maritis. D. Bon: ibid:

Caveant Fratres & eorum Miniſtri ne ſoliciti. Quid hic prohibeatur Miniſtris & Fratribus, & quid liceat, vide Declar: Clem: V. art: 2.

Duas tunicas. In una intelligens exteriorem amictum, ut Fratres cappa tegantur; in altera omne corpori manifeſte neceſſarium veſtimentum. D. Bonav: ibidem.

Et cingulum. Funem utiquè S. Bonav: ibidem.

Cordam communnem & rudem. Conſtitut. Jul: 2. cap: 2. p: 7.

Et brachas. Iſtarum bracharum non tangitur qualitas, ut liceat FF. si nolunt tangere lini delicias, brachis uti laneis, vel etiam cilicinis. D. Bonav; ibidem.

Et nullo modo licebit. Præceptum eſt eminens. vid. Nicol: III. art: I. & Clem. V. cap. I.

Exitus a Religione voluntarius prohibetur, non autem incorrigibilium expulſio perverſorum: ſicut neque abſciſſio putridorum membro-

rum illis, quibus eſt cura commiſſa corporis. Hug in hunc locum.

Aſpiciens retro. Retro aſpicit, quisquis alta profeſſus, ſponte ad inferiora deſcendit; regno Dei conſequenter indignus. Hug. ibidem.

Unam tunicam. In qua habitus intelligitur D. Bonav: ibid:

Et aliam ſine caputio. In alia tunica ſine caputio, intelligitur tunica ſimplex, vel repetiata. Nec debent plures haberi interius. a Profeſſis præcipue; niſi de Superiorum arbitrio: Quibus Regula committit talium ſolicitudinem, ſecundum loca & tempora, & frigidas regiones. D. Bonav: 4. Magiſtri & Hugo in hunc locum. Vim habet præcepti. Clem: V. Cap: 2.

Nicol: III. artic: 7. Judicium numeri tunicarum plene relinquit conſcientiæ superiorum. Sicut & Clem: V. Cap: 2.

Habere duas tunicas & non plures Regularis eſt formæ, plures vero duabus habere, diſpenſationis eſt Regulæ auctoritate eorum, quibus commiſſum eſt FF. providere ſecundum

dum loca & tempora, & frigidas Regiones ficut neceffitati viderint expedire. 4. Magiftri & Hug: in hunc locum.

Fratres cum dicta tunica fecunda, vel fine ea, poffint omni tempore ad carnem portare camifiam ftamineam, vel de panno albo, propter munditatem fervandam: nullo tamen modo lineam. Conftitut: Julii 11. Cap: 2. part: 7.

Habeant FF. Mantellos de panno vili & humili, omni curiofitate penitus abdicata. Conft: Jul: 11. Cap: 2. part: 7.

Et qui neceffitate coguntur: Æquipollet præcepto. Ciem V. Cap: 1.

Qui & judicium neceffitatis relinquit fuperioribus, quorum fententiæ fubditi, fecure acquiefcere debeant. Cap. 3. Similiter Jul: 11, Cap: 1. part: 2.

Neceffitate coguntur. Cogens neceffitas dicitur, quam non carnis prudentia, fed rationabilis conciliat caufa. Ut quando debitum impeditur Officium, aut corporale, vel fpirituale timetur difpendium. Hug ibidem.

Ubi

Ubi cogit neceſſitas non minus calceatus, quam diſcalceatus ſervat Regulam. Quidam in nive & glacie ſine calceis perdurantes gravia incurrunt Incommoda. Melius eſt beneficium Regulæ cum humilitate recipere, quam periculum ex ſuperſtitione incurrere. Hug: ibid:

Calceamenta. Conſveta pedum operimenta de corio, videntur proprie calceamenta vocari 4. Magiſtri & Hug: in hunc loc:

Nec caligæ truncatæ inter calceamenta reputari videntur 4. Mag: ibid:

Unde Conſtit: Julii II. Cap: 2. part: 8. Qui etiam voluerint, vel neceſſitate coguntur caligis griſei coloris, inferius & ſuperius truncatis, & deſuper genua tantum modo cooperientibus, niſi aliter facere urgente neceſſitate, prout concedit Regula, cogerentur. Et in hyeme poſſint uti pedalibus de panno, ſive ſutonibus. Hæc ibi.

Et FF. veſtimentis vilibus. Æquipollet præcepto. Clem: V. cap: 1.

Ve-

Veftimentis vilibus. Vilibus in prætio & colore fecundum confvetudinem vel conditionem Patriæ: quia non poteft determinatus unus modus quo ad regiones omnes in talibus affignari, Clem. V. cap: 3. 4. Mag: & Hug:

Habet hæc vilitas fuos gradus, nec confiftit in indivifibili. Poffunt enim aliæ veftes aliis effe viliores, Sed quemadmodum non debent tam effe prætiofæ, ut FF. curiosi judicentur & vani: ita nec vilifſimæ. Conftit: Jul: 11. Cap: 2. part: 7.

Curandum ne mollicie, fubtilitate, vel fpeciofitate notabiliter pannus appareat delicatus. Hug: ibid:

Sicut aliqui Regulares in veftibus, Calceamentis & aliis neceffitatibus multum completi, multumquè fo rinfecus quadam honeftate compofiti: fed nulla maior honeftas, quam Chriftum, & ejus Apoftolos imitari. Religiofi pauperis, cum Regulâ fit pauper, veftis prætiofa & curiofa, confufio eft. Hugo in hunc locum.

Quia non omnes capiunt medium virtutis, vel per exceffum, vel defe-

ctum

ctum in his aut aliis sæpe peccatur: vilitatis, longitudinis, latitudinis, grossitiei, subtilitatis, & formæ judicium plene relinquit Prælatis Ordinis: & eorum super hoc conscientias onerat. Clem: V. cap: 3.

Id ipsum facit & Joannes XXII. in extravag: *Quorumdam exigit.* Ubi firmiter præcipit subditis omnibus, ut in eo sequantur Judicium Prælatorum: quod facientes nullo modo Regulæ transgressores dici possint, aut debeant, nec ipsi seipsos tales autumare. *In Extravagantibus.*

De Divino Officio & Jeiunio, & quomodo Fratres debeant ire per Mundum.

CAPUT III.

Clerici faciant Divinum Officium secundum Ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excepto Psalterio, ex quo habere poterunt Breviaria. Laici vero dicant 24. Pater Noster pro Matutino pro Laudibus 5. pro prima, tertia, sexta & nona pro qualibet istarum 7. pro vesperis autem 12. pro Completorio 7. & orent pro Defun-

functis. Et jejunent a Festo OO. SS. usquè ad Nativitatem Domini, S. vero Quadragesimam, quœ incipit ab Epiphania Domini, usq; ad continuos Quadraginta dies, quam Dominus suo Sancto jejunio consecravit, qui voluntarie eam jejunant, Benedicti sint a Domino, & qui nolunt non sint adstricti: sed aliam usquè ad Resurrectionem Domini jejunent. Aliis autem temporibus non teneantur, nisi Sexta Feria jejunare. Tempore vero manifestœ necessitatis, non teneantur FF. jejunio corporali. Consulo, vero moneo, & exhortor, ut quando vadunt per Mundum, non litigent, neq; contendant verbis, nec alios judicent, sed sint mites, pacifici & modesti, mansveti & humiles, honeste loquentes omnibus sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate, vel infirmitate cogantur. In quamcunq; domum intraverint, primum dicant: Pax huic domui. Et secundum S. Evangelium, de omnibus cibis qui apponuntur eis, liceat manducare.

Clerici faciant Divinum. Æquipollet præcepto. Clem: V. cap: 1.

Sed aliam. Ac si dicatur: Istam possunt iejunare, qui volunt: sed aliam jeiunare tenentur. Hug: ibid:

Aliis autem temporibus. Prætterquam ab Ecclesia institutis. Clem: V. cap: 3.

Sexta Feria. Nec pro Festo Nativitatis Domini, Jejunium est solvendum. Hug: ibid:

Jejunare a Festo Omnium Sanctorum, usq; ad Nativitatem Domini, & Sextis Feriis æquipollet præcepto. Clem: V. cap: 1.

Manifesta necessitate. Necessitas dicitur manifesta, quando indigenti, vel discreto cuilibet intuenti, & maxime Prælato dubia non existit. Hug: ibid: & D. Bonav: in cap: 12. Reg:

Necessitas quæ nos a jejunio absolvit, contingit multis modis. Contingit enim necessitas comedendi aliquando ratione ætatis vel infirmitatis, aliquando ratione laboris, vel defectu sustentationis. Hugo ibid: Idem fere D. Bonav: ibid:

Et

Et non debeant equitare. Æquipollet præcepto. Clem: V. cap: 1. Equitare. Et per conseqnens, nec bigare, nec quadrigare, quæ majoris sunt sumptûs. D. Bonav: ibid:

Nisi manifesta necessitate. Prolixi, vel impediti itineris, vel negotii urgentis. D. Bonav: ibid:

De omnibus cibis. Hoc pro tempore accipimus secundum morem, ut omnibus jejunantium in jejunio, & non jejunantium in non jejunio, cibis uti possimus. Hug: ibid:

Quod Fratres non recipiant pecuniam.

CAPUT IV.

Præcipio firmiter Fratribus Universis, ut nullo modo Denarios vel pecuniam recipiant, per se, vel per interpositam personam. Tamen pro necessitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis per Amicos spirituales Ministri tantum & Custodes solicitam curam gerant, secundum loca & tempora, & frigidas Regiones, sicut necessitati viderint expedire; eo semper salvo (sicut dictum est) denarios vel pecuniam non recipiant. *Præ-*

Præcipio Firmiter) Præceptum capitale eſt. Late de hoc Nicol III. Art: 4. præſcribens cauſas & modos in eleemoſynis pecuniariis adhibendos, quibus ſervatis declarat FF. non recipere pecuniam per se, vel per interpoſitam perſonam.

Aliis vero modis, & aliis de cauſis recurrere ad dantes pecuniam; uti & eam quæſtuare, Truncos & cippos pro oblationibus recipiendis exponere nullo modo Domi, vel in via FF. licet. Clem: V. cap: 4.

Cauſæ vero, ob quas eleemoſynas pecuniarias procurare, vel ſponte oblatas recipere (modo mox dicendo) licite poſſunt, ſunt: *Neceſſitas præterita*, (si vgr: adeſt Debitum) *Præſens*, & *proxime imminens*. Nicol: III. Art: 4. Clem: V. cap: 4.

Modus autem, qui in Regula præſcribitur, eſt is, ut pro rebus, quæ non nisi mediante pecunia acquiri poſſunt, Fratres recurrant ad Amicos Spirituales: ſcilicet pios Benefactores, ut hi ſuis pecuniis illorum neceſſitatibus providere dignentur, ſatis-

ſatisfaciendo, vel quod neceſſe eſt emendo per se, vel ſuos Subſtitutos. Quodſi aliquando vel maxime in diſtantia locorum res eſſent coemendæ, & dans pecuniam non haberet quem ſubſtituere, & cui id commitere? declarat prædictus Pontifex Nicol: III. poſſe FF. ſalva puritate Regulæ præſentare, vel nominare perſonam, cui id velit committere ita, ut hæc, si impedita extiterit, poſſit alteri, & hæc, adhuc alteri committere, Dominio pecuniæ ſemper per quascunq; illa tranſierit manus, penes dantem remanente, donec in neceſſitates Fratrum fuerit converſa.

Sed cum hic modus non eſſet omnimode expeditus a ſuis difficultatibus, hinc proviſus eſt alius modus multo accomodatior & Fratribus, & ſimul pietati Fidelium, qui aliquando non ita ſunt apti FF. neceſſitatibus ſuccurrere rebus in ſpecie, quam pecuniâ.

Summi proinde Pontifices, cum jam omnium rerum modo congruo Fratribus oblatarum & offerendarum

rum (ne raptui Avidorum ſubjacerent) Dominium in se & ſedem Apoſtolicam ſuſcepiſſent, ſuſceperunt pariter Dominium, curam, & adminiſtrationem etiam pecuniarum, & ideo pro quolibet Conventu ſuos Subſtitutos, ſcilicet Syndicos Apoſtolicos inſtituerunt.

Eorum igitur Officium eſt: 1. Nomine & Authoritate ſummi Pontificis & S. Romanæ Eccleſiæ (non vero Fratrum) 1. res, & pecunias a Fidelibus oblatas, Teſtamento legatas &c. recipere, defendere, ſub Dominio Sedis Apoſtolicæ tenere, retentas etiam in Judicio (ſecluso tamen ſcandalo, & ſine aſſiſtentia Fratrum) repetere, & in Fratrum neceſſitates (prout *a Superioribus requiſiti fuerint*) convertere. 2. Res, ſi quæ Legatæ fuerint, & Statui Fratrum non convenirent, aut inutiles evaſerint, alienare, commutare, vendere &c. & pretium in Fratrum neceſſitates convertere. 3. Res immobiles, uti Loca Monaſteriorum, ac Jura eorum velut propria Sedis Apoſtolicæ extra, & in Judicio civili-

viliter defendere. Plura vide apud Expofitores fuſius tractantes.

Utroquè hoc modo, fcilicet Amicis Spiritualibus & Syndicis Apoſtolicis uti Fratribus licet, ſtante vera *Neceſſitate præterite*, *præſenta*, vel *proxime imminente*, cæteriſque ſervatis ſervandis ita, ut ne quoquô modô aut actu FF. Juris quidquam in res, & in pecunias, etiam uſûs, interne coram Deo aſſumant, aut externe ſe habere exhibeant. Nicol: III. Clem: V. Martinus IV. & V. Innocent. IX. in Bulla: *Solicitudo Paſtoralis.* ubi etiam hoc habetur: Quod uſus Syndicorum non ſit diſpenſatio in Regula, ſed modus a Romanis Pontificibus provisus pro puriori Regula obſervatione.

Ex his patet, quod Syndicus Apoſtolicus non ſit *perſona interpoſita*, quia non eſt Fratrum, quamvis ab ipſis nominetur, ſed ipſius ſummi Pontificis Subſtitutus, & Æconomus, ac ejus nomine agens ita, ut nec Civiliter a Fratribus requiri poſſit, ad reddendum computum de perceptis & expenſis pecuniis, quam-

vis

vis possit moneri, ut se fideliter gerat.

Hinc cum pecunia per Syndicum ejusq: Substitutos (quos utiq; debet habere plures juxta exigentiam Fratrum; Domi, in Ecclesia, Sacristia vel alibi percipitur & expenditur, FF. qui sunt solummodo quasi spectatores & Testes, nec debent nec possunt dici recipere pecuniam per se, vel per interpositam personam.

Et quamvis Fideles (ob ignorantiam Statûs Fratrum) putent se dare, & actu dent pecuniam amore DEI directe Fratribus ipsis, intelligendi tamen sunt sic dare, qualiter & quomodo Fratribus eam admittere, & in suas necessitates convertere licet. Non enim censendi sunt velle ipsos facere suæ Regulæ prævaricatores, quos volunt habere pro se apud Deum ex oratores. Nicol: III. Clem. V.

Nec Dominium eo ipso in FF. transfunditur, quia illis datur; si ipsi illud a se repellunt. Sicut enim non potest quisquam dominium in alium

alium transferre, nisi actu velit a se abdicare, ita nec alter assumit, nisi actu velit illud assumere.

Syndicus Apostolicus non est proprie *Amicus Spiritualis*, hic enim suis pecuniis Fratrum necessitatibus providet, ille vero Fidelium in Dominium Papæ translatarum. Et ideo lato modo etiam dici potest Substitutus Fidelium. Et amicus etiam Spiritualis, si quando suis pecuniis subvenire voluerit.

Syndici Apostolici debent res administrare conformiter ad statum Fratrum, & juxta voluntatem sui Principalis summi Pontificis, & ne in aliquo per ignorantiam errent, ideo additur: *sicut a Superioribus fuerint requisiti.* Quæ requisitio Fratrum non est *Authoritativa* & *Juridica*, sed solum *consultiva* & *directiva* per modum humilis instructionis. Et illi faciunt, non quia Superiores requirunt, sed quia suus Principalis ita ordinavit, ut faciant, sicut requirunt.

Præcavendi sunt etiam Syndici Apostolici, quod sicut non omnes

res

res & pecuniarum oblationes Statui pauperrimo Fratrum *conveniunt*, ita nec omnes, & eodem modo ab ipsis acceptantur. Et quæ eorum statui *non conveniunt*, nec a Papa & Ecclesia Romana in suum Dominium recipiuntur, nec consequenter Syndici Apostolici qua Substituti Papæ & Ecclesiæ, possunt talia in Judicio civiliter exigere, nisi qua ut dicitur (*Unus è populo*, ex zelo justitiæ assumendo jus delationis, ad demonstrandam potestati Judiciariæ non jam Fratrum, qui nullum jus habent, sed potius Testatoris defuncti injuriam, qui jus plenum habuit hæc, vel illa pauperibus assignare, & suos Successores obligatos reddere.

Hinc illæ solum Eleemosynæ Statui Fratrum conveniunt, & in Dominium a Papa recipiuntur, quæ dantur Fratribus sive sponte, sive pro labore, sive Testamento, Legato &c. ad sublevandas eorum necessitates veras: *Præteritas, præsentes, & imminentes proxime.* Non vero quæ offeruntur ad superfluitatem,

tem, vel ad thezaurisationem, ad percipiendos ſcilicet cenſus, ſeu annuos proventus ex Bonis, vel a capitalibus ſummis perpetuo manſuris, ex jure ſibi debitos, quibus poſſit mendicatio tolli, & modus vivendi quaſi Dominis certus reddi etiam pro futuro longiſſimo tempore.

Hinc nulla talia Bona aut Capitalia, a quibus cenſus ex jure & civiliter peti poſſit FF. admittere poſſunt, nec Papa in ſuum jus, dominium, & curam ſuſcipit; nec per conſequens poteſt id facere ejus Subſtitutus, ſcilicet Syndicus Apoſtolicus, aut in Judicio uti Syndicus experiri. Dum ergo talia a Fundatoribus aſſignantur, vel ab aliis Legantur *vgr:* pro victu, veſtitu, pro Miſſis aut anniverſariis in perpetuum celebrandis; vel pro Fabrica, Lampade, Muſica &c. Legatum quidem manebit validum; ſed FF. debent expreſſe proteſtari: ſe ad talia nullum Jus civile habere poſſe, aut velle. Si interim id, quod aſſignatum eſt (ut menti Fundatoris, vel

Te-

Teſtatoris ſatisfiat) placebit reddere annuatim, per modum puræ & ſimplicis Eleemoſynæ, illam uti pauperes grato animo, ſuſcipient, & obligationibus ſatisfacere curabunt.

Si vero Hæredes ſeu Succeſſores reddere ceſſaverint? quo ad ea quidem, quæ non in Fratrum neceſſitates, ſed in alios uſus ſunt determinata vgr. pro Sacriſtia, Fabrica, Lampade &c. Syndicus ut Syndicus poteſt jure agere, & talis Elleemoſyna debet converti in uſus a Teſtatore præſcriptos, & non in Fratrum.

Jam vero quo ad ea, quæ pro ipſorum Fratrum victu, ant neceſſitatibus, ſive gratis, ſive pro labore, uti anniverſariis &c. ſunt determinata, etiamsi Miſſæ fuerint abſolutæ, non poteſt in judicio exigere Syndicus ut Syndicus, ſed non niſi ut *unus è populo*. Confirmatur id totum Decretis noviſſimis Sacrarum Congregationum adductis a Clariſſimo Lucio Ferraris. V. *Legatum & votum.*

Imo cum Hæres teneatur in conſcien-

ſcientia adimplere onera, & diſpoſitiones Teſtatoris; & cum Papa ſit Executor ultimarum voluntatum in toto Orbe terrarum, ſicut & Epiſcopus in ſua Diæcesi, poteſt etiam cogi ad ſatisfaciendum, per Syndicum Apoſtolicum, non ut unum de populo, ſed nomine *S.* Romanæ Eccleſiæ. Idem ibidem.

Hæc quidem apponuntur pro notitia, prout ſunt, non tamen practicanda ſvadentur. Et ſi Syndicus Apoſtolicus zelo juſtitiæ id omnino experiri voluerit, ut Dominus & Officialis Papæ faciat, quod juſtum eſt, ſine ulla tamen in Judicio aſſiſtentia Fratrum.

Denarios vel pecuniam) Ferè ſynonima ſunt, niſi quod Denarius ſit ſpecies, pecunia vero genus. Pecunia hic prohibetur formaliter ſumpta, ut eſt moneta authoritate publica inſtituta, ſeu ut eſt inſtrumentum formale emptionis, & taliter ſumptam, nunquam Fratribus recipere licet, niſi in ſola gravi & extrema neceſitate, ut tempore perſecutionis inter Hæreticos & infideles,

les, quando aliter vitæ corporalis neceſſaria habere non poſſent, prout permittitur etiam Miſſionariis Noſtris in terris Barbaris, & hoc tantum *ad ſimplicem usum facti, & ſine dominio & proprietate in illam.* Ita declarant Nicol: III, Art: 2. deſumitq; hanc, conceſſionem & interpætationem ex jure *Poli* & *Naturæ*, quo quisq; tenetur vitam ſuam corporalem tueri.

Quatenus autem Denarius & pecunia eſt quoddam Metallum, ſic ſemper poteſt cedere uſibus Fratrum. Sic non peccant, 1. Qui peccuniam, contrectant mere materialiter, ut eſt argentum aut aurum, ut inde conficiatur Calix vel quid ſimile. 2. Qui tangunt mere per curioſitatem, vel delapſam de terra ſublevant, ut Domino reddant. 3. Qui ſpecuniam mere materialiter ut rem proximi ſuſcipiunt in cuſtodiam, vel illam de loco ad locum (ſecluſo ſcandalo) transferunt. vel a prædone furto ablatam eripiunt, ut ſuo Domino reddant; quia hæ actiones non verſantur circa pecuniam,

niam, ut pecunia eſt formaliter, ſed ut res eſt proximi. Ita omnes Expoſitores.

Recipiant) Recipere pecuniam dicitur ille, qui quovis modo illam ſive in poſſeſsionem, ſive in uſum quem cunque civilem, vel in Authoritatem acceptat ſive *per se*; hoc eſt: in persona propria, ſive *per interpoſita personam*; hoc eſt: intermediam inter dantem, & Fratrem accipientem, quæ Denarios Authoritate Fratris recipiat, vel aſservet, vel expendat.

Generaliter tenendum eſt, quod authoritate Fratrum non poteſt pecunia committi, nec re ipſa, nec commiſsa ſicut propria repeti, vel expendi, nec deponi, vel deferri, nec mutuo dari. 4. Magiſtri & Hugo ibidem.

Quamquam enim aliarum rerum neceſſariarum uſus Fratribus ſit conceſſus, nullo tamen modo pecuniæ. Nicol. III. Art: 2. Clem. V. c. 4.

Pro neceſsitatibus Infirmorum) In quibus, aliæ neceſsitates maiores intelliguntur. D. Bonav. hic, ut Domus,

mus, Libri &c. Quia Dominus Papa loquitur indiſtincte, pro neceſsitatibus. 4. Magiſtri ibidem.

Miniſtri tantum.) Superioribus ergo tantum pro maxime neceſsariis ſolicitudo reliquitur, ut diſcat ſubditus, rerum absq; licentia procurationem & diſpensationem illicitam eſſe ſibi. Hug. ibidem.

Poſsunt tamen Miniſtri hanc curam etiam exercere per allios, ijquè impoſitam acceptare tenentur. Nicol: III. Art: 7.

Et Cuſtodes.) Hic nomine Cuſtodum etiam Gvardiani intelliguntur qui habent immediate cuſtodire, & intendere paſtorali curæ. D. Bonav: ibid.

Secundum loca et tempora, et frigidas regiones.) Juxta has neceſsitates, neceſse eſt diſpensative temperare rigorem et temperamentum a ſolis Miniſtris et Cuſtodibus, in quibus Gvardiani intelliguntur, debere fieri, docetur.

Eo ſemper ſalvo.) Hoc idcirco replicat, ne propter ullius neceſsitatis periculum ſuſtineat labefactari Ordi-

Ordinis paupertatem, ſciens per talium receptionem, ſeu prætextu falso neceſsitatis, plures & DEO & hominibus viluiſse. D. Bonav: ibid.

Quoniam tactum eſt de ſolicitudine per amicos; nequis putaret ad eos recurrendum gratia mutui, quod ſine proprietate, aut receptione pecuniæ ſieri non poteſt, cum ab illo qui dat mutuum, in illum qui per ſe vel alium recipit, tranſeat Dominium: receptionem pecuniæ expræſsa iteratio removet. Hugo ibid.

Vide declarat: Nicol III. Art: 4. qui mutuum proprii nominis omnino prohibet. Parce etiam ac cum tremore debent contrahere debitum, & tunc tantum, cum requirit neceſsitas manifeſta. Hugo ibid.

Melius eſt de pecunia ſtatim ut obvenit expediri, quam repoſitam, niſi ex causa multum neceſsaria, cuſtodiri Conſervatio pecuniæ ſpeciem malam & ſcrupulum ingerit, expeditio neceſsitatem oſtendit. Hugo ibid.

De modo laborandi.

CAPUT V.

Fratres illi, quibus Dominus dedit, gratiam laborandi, laborent Fideliter & devote, ita quod excluso otio, animæ inimico, ſanctæ Orationis & devotionis ſpiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deservire. De mercede vero laboris pro ſe & ſuis Fratribus corporis neceſſaria recipiant, præter denarios vel pecuniam: & hoc humiliter, ſicut decet ſervos DEI, & paupertatis ſanctiſsimæ ſectatores.

Fratres illi.) Qualiter iſtud præceptum ſit, vide declarationem Nicol: III. Art: 8.

Gratiam laborandi.) In hac gratia intelligio vires corporis, & habitum artis acquiſitum, ac habilitatem etiam artem acquirendi. Et quia quidam habent gratiam ſpiritualiter laborandi, quidam corporaliter; omnibus dans Regulam generalem, vult ut quisq; ſibi datâ gratiâ utatur D. Bonav.

Sanctæ Orationis.) Unde nullus vel

vel ſtudio vel alicui exercitio ſic dare ſe debet, ut tamen horis competentibus orationi non inſtet Hug. 16.

Non extingvant.) Ne carnales hinc ſuam defenſent otioſitatem: orationis & devotionis ſpiritus non dicitur extingvi, quando non eſt ſolicitudo talis laboris, per quam, impediantur ab orationibus ſecundum Regulam determinatis. 4. Magiſtri ibidem.

Quod Fratres nihil ſibi approprient, & de Elèëmosyna petenda & de Fratribus Infirmis.

CAPUT VI.

Fratres nihil ſibi approprient, nec Domum, nec locum, nec aliquam rem, ſed tanquam peregrini & advenæ in hoc ſæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro Elèëmosyna confidenter. Nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo. Hæc eſt illa celſitudo Altiſsimæ paupertatis, quæ vos Chariſsimos Fratres meos hæredes, &

reges Regni cœlorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viventium. Cui Dilectissimi Fratres totaliter inhærentes nihil aliud pro nomine D. N. J. Christi in perpetuum, sub Cœlo habere velitis. Et ubicunq; sint & se invenerint Fratres ostendant se domesticos invicem inter se & securè manifestet unus alteri necessitatem suam; quia si Mater nutrit & diligit Filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere & Nutrire Fratrem suum spiritualem? Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alij Fratres debent illi servire sicut vellent sibi servire.

Fratres nihil sibi approprient.) Præceptum eminens, vide declar: Nicolai III. & Clementis V. Cap. 1. Hoc servandum est tam in speciali, quam in communi, qni modus licitus est, servabilis & Meritorius. Nicol. III. Art: 2. *Approprient*) Appropriare, est rem suam facere sive in suum Dominium convertere, sua autem res est, quæ transijt in arbi-

trij

trij liberi facultatem, ut de ea per ſe faciat, habens quod vult, vendendo, mutuando, impignorando, donando.

Proprietas eſt jus dominij, qua quis dicitur Dominus eſſe rei quo etiam jure res dicitur eſſe ſua, id eſt, Domini propria. Proprietas autem alia eſt rei corporalis, ut puta Domus, veſtis, & cujuscunq; rei corporalis mobilis vel immobilis; Alia eſt rei incorporalis, juris acquirendi, alienandi, petendi. Quicunq; dicta jura in bonis ſuis habet, & ſi nihil corporale poſsideat, pauper non eſt, quia ex his incorporalibus ad rerum Mobilium vel immobilium proprietatem pertingere poteſt, & idcirco hæc habere, cum voto nihil habendi conſtare non poteſt. Relinguitur ergo quod Ordo Fratrum Minorum in Univerſis & ſingulis, jure vendendi & emendi mutuum dandi & accipiendi, permutandi & ſimpliciter omni jure obligandi, quo cujuslibet rei proprietas acquiri vel alienari poteſt, usque quaq; privatus eſt. Aliquo tamen

men ſensu emere, vendere, commutare, mutuum contrahere, locare, impignorare, donare, accomodare licet. Emere enim cum dicitur de prætio rei emendæ convenire, aut ſolutionem rei emptæ procurare, Fratribus licet. Cum autem emere ſumitur ut prætium, vel pecuniam pro re dare, non licet, hoc enim non poteſt, niſi qui poteſt pecuniam vel proprietatem habere. Vendere, cum eſt rem propriam in alienum dominium pro prætio transferre, non licet, quia hoc modo tantum vendit, qui habet rei dominium. Cum autem eſt de re aliqua, prætium recipere licet, quia id poteſt ſervus auctoritate Domini: licet tamen ſecundum profeſsionem Fratrum turpe & inhoneſtum eſſet. Si tamen aliquando res Fratrum expediat vendi, vel commutari relinquit id Nicol: III. judicio Miniſtrorum Generalium vel Provincialium ſimiliter & diſpoſitionem uſus Art: 6. Et quidagendum ſit, ſi contingat vendi æſtimato prætio, docet ibidem. Mutare, cum idem eſt, quod de meo tuum facere,

quia

quia eſt contractus proprietatis, non licet, quando vero impropriè ſumptum idem eſt quod bona fide ad procurandam, non faciendam ſolutionem ſe obligare licet. Locare operas ſuas poſſunt, ſine pacto, mercedem ſuſtentationis expectando, ſed cum pacto de mercede convenire non poſsunt, ea enim completo opere, Fratrum eſse videretur. Impignorare an poſsint, ex præcedenti ſolutione patet. Quia alicui rem ut ſuam obligare non poſſunt, auctoritate vero Domini rem ſibi conceſſam ad uſum poſſunt alteri concedere. Hæc omnia ex 4. Magiſt. et Hugone in hoc 4. cap. Regulæ. Donare quomodo intra vel extra ordinem poſſint, vide Declar. Nicolai III. Art: 6. Furtivè autem habes, quidquid retines ſine licentia Prælati. *Hugo ibidem.*

Nec Domum, nec locum) Locorum & rerum uſus eſt licitus, ſed tam rerum, quam uſus appropriatio vitioſa. B. Franciſcus etiam Officia appropriare inhibebat. *Hugo ibidem.*

Nec aliquam rem) Intentio plane eſt

eſt S. Francisci, ut FF. ſicut ſervi utantur rebus in aliena poſitis poteſtate. *D. Bon. ibidem.* Nihil itaq; FF. Minores habent proprium, ſed utuntur librorum & aliarum utilitatum utenſilibus, quæ juris ſunt alieni. *Idem in primum Caput Regulæ.* Nobis in rebus, quibus utimur tantum conceſſus eſt ſimplex uſus facti. Dominium verò Mobilium, quibus utimur, & aliquorum immobilium eſt S. Romanæ Eccleſiæ, vel Perſonæ ſummi Pontificis. Aliquorum Dominium manet apud Dominos concedentes, vide latè *Declar. Nicolai III. Art: 2. & 3.* Ad quem arctum uſum adſtringamur. *Vide Declar. Clem: V. cap. 2.*

Peregrini et advenæ) Paupertas Fratrum Minorum attenditur in duobus. Unum eſt, ut non recipiant aliquid fixum, ſicut reditus, & hoc eſt, quoniam tanquam peregrini & advenæ in paupertate debent Domino famulari. Aliud quod debent habere paupertatem, quantum ad uſum, ut taliter ſint pauperes, quod etiam ſint mendici. Unde etiam additur:

ditur: vadant pro Eleémosyna 4. *Magistri & Hugo ibidem.*

Vadant pro Eleémosina confidenter) Possunt autem confidenter Eleémosinam petere, quando ut caute præmittitur, in paupertate Domino famulantur, mendicitas enim urgente necessitate paupertatis est licita, deficiente, necessitate illicita. Quando deest paupertas, mendicans hipocrita est & raptor. Hipocrita dum paupertatem, quam non habet, ostendit. Raptor dum quod non suum, sed indigentium est pauperum, usurpat. Unde non mediocriter peccat, qui absq; necessitate mendicat. *Hugo ibidem.*

Totaliter inhærentes) Ut omnia quæ in usu Fratrum sunt, hanc prædicent paupertatem. *D. Bon. ibid.*

Habere velitis) Non dicit nihil habeatis, hoc enim superius docuit, sed habere velitis, quia non paupertas, sed paupertatis amor virtus est. *Hugo ibid.*

Et ubicunq; sint) Hic evindenter ostenditur, quod perfecta charitas debeat esse inter Fratres, quantum

ad ſignum, quantum ad affectum, & quantum ad effectum. Unde quantum ad ſignum dicit: Oſtendant ſe Domeſticos. Quantum ad affectum, dicit: Quia ſi Mater &c. quantum ad Effectum ſubjungit: Et ſi quis eorum in infirmitatem ceciderit &c. 4. *Magiſt.*

Alij Fratres debent illi ſervire) Æquipollet præcepto. *Clemens V. cap.* 1.

Hæc eſt ergo ſumma paupertas Fratrum Minorum, quia Communitas eorum nulli rei dominatur, nulli homini civiliter præfertur, nihil ſuo jure poteſt repetere, nulli tenetur tributum reddere, nihil poteſt recipere metas paupertatis excedens, nihil poteſt ei hæreditariè accedere, nihil poteſt immobili titulo tenere, egeſtatem debet ſervare. *Pechanus in* 1. *Cap. Reg.*

Contra hoc caput peccant qui permittunt ſe inſtitui hæredes, vel reditus Annos recipiunt ex jure debitos Clem. V. cap. 6. *Item* qui curijs aſsiſtunt & litibus, dum de rebus agitur in eorum uſum converten-

tendis. *Idem cap.* 7. Item qui se miscent executioni Testamentorum, aut dispositioni usurarum, & injuste ablatorum. Consilium tamen dare licet *Idem ibidem.* Item qui habent vineas vel hortos, ut colantur, & hortalitia vendantur, vel ad talem usum legata recipiunt. *Idem cap.* 8. Item qui granaria vel cellaria habent, unde vivere sine mendicatione quotidiana posſent, nisi constet eos aliter vivere non posse, quod relinquitur judicio & conscientiæ Ministrorum cum consilio Discretorum, quorum super hoc conscientiæ onerantur. *Idem cap.* 9. Item qui habent ædificia, calices, vel ornamenta in numero vel magnitudine excessiva. *Idem cap.* 2. Et qui habent utensilia superflua, vel supellectilem ad status sui executionem non Necessariam. *Nicolaus III. Art:* 3.

De Pœnitentia Fratribus peccantibus imponenda.

CAPUT VII.

Si qui Fratrum instigante inimico mortaliter peccaverint, pro illis peccatis,

catis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres ut recurratur ad ſolos Miniſtros Provinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere, quam citius poterunt ſine mora. Ipsi vero Miniſtri ſi Presbyteri ſunt, cum miſericordia injungant illis pœnitentiam; Si verò Presbyteri non ſunt, injungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis, ſicut eis ſecundum DEUM melius videbitur expedire, & cavere debent, ne irascantur & conturbentur propter peccatum alicujus, quia ira & conturbatio in se & in aliis impediunt Charitatem.

Si Presbyteri ſunt) Hoc dictum eſt pro ordinis initio, in quo erat raritas Sacerdotum maxime quia S. Franciscus ex humilitate legitur Sacerdotium fugiſſe ſicut & S. Benedictus. *D. Bon. ibidem.*

Cum miſericordia) Non dicit Regula pænitentiam omittendam, ſed cum miſericordia imponendam, quia debet, ut Canon loquitur, juſtitiam temperare moderatio. Miscenda eſt lenitas cum ſeveritate. Sit zelus, ſed moderatè ſæviens pietas, ſed nunquam

quam plus, quam expedit, parcens. *Hugo ibidem.*

Injungi faciant) Quæ nunc ex ordine Capituli generalis Miniſtris Provincialibus reſervantur, poſſunt ijdem alijs committere ſi videbitur, abſolvenda. *Hugo ibidem.*

Sacerdotes Ordinis) Miniſtris, licet curam animarum Fratrum principaliter habeant, non permittitur Fratres in ſuis caſibus ad alios extra Ordinem Confeſſarios mittere, ſed tantum ad hujus Ordinis Sacerdotes. multo minus id Fratres per ſe poſſunt. *Hugo ibidem.*

Irascantur) Ira, quæ eſt habitus cum aſsensu liberi arbitrij in malevolentiam: Sufficit enim voluntatis rectitudinem cuſtodire, & motus irrationales circa ſensum viriliter cohibere. *D. Bon. ibidem.*

Conturbentur) Turbulenti & terribiles ſubditis non efficiantur propter peccatum alicujus. Non autem prohibet iram per zelum, quæ virtus eſt neceſſaria in peccatis corrigendis. *D. Bonav: ibidem.*

Te-

Teneantur ad eos recurrere) Vim habet præcepti. *Clemens V. cap. 1.*

De Electione Generalis Ministri hujus Fraternitates & de Capitulo Pentecostes.

CAPUT VIII.

Universi Fratres unum de Fratribus istius Religionis teneantur habere Generalem Ministrum, & servum totius Fraternitatis, & Ei teneantur firmiter obedire, quo decedente, Electio Successoris fiat, a Ministris Provincialibus & Custodibus in Capitulo Pentecostes, in quo Provinciales Ministri teneantur semper insimul convenire, ubicunq; a Generali Ministro fuerit constitutum. Et hoc semel in tribus Annis, vel ad alium terminum majorem, vel minorem, sicut a Prædicto Ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret universitati Ministrorum Provincialium, & Custodum. Prædictum Ministrum non esse sufficientem ad servitium, & communem utilitatem Fratrum, teneantur prædicti Fratres, quibus electio data est,

in

in Nomine Domini, alium ſibi eligere in Cuſtodem. Poſt Capitulam verò Pentecoſtes, Miniſtri & Cuſtodes poſsint ſinguli, ſi voluerint, & ejs expedire videbitur, eodem Anno in ſuis *Cuſtodiis ſemel Fratres ſuos ad Capitulum convocare.*

Univerſi Fratres) Et iſtud, & ubicunq; in Regula ponitur vox (teneantur) vim habet præcepti. *Clem. V. cap.* I.

In quo Provinciales Miniſtri teneantur) Omnes Provinciales Miniſtros debere proficiſci ad Capitulum Generale, ſed ex unaquaq; Provincia unum tantum Cuſtodem Cuſtodum, nomine reliquorum, *Nicol. III. Art:* 2. de Electione Provinciales Miniſtri. *Clemens V. cap.* 12.

Alium ſibi eligere in Cuſtodem) Nomen Cuſtodis extendit ſe ad Miniſtros Generalem & Provinciales. Unde hoc loco Miniſter Generalis, Cuſtos appellatur, & inferius Miniſtri Provinciales, Cuſtodes nuncupantur. *D. Bonav:* 4. *Mag: & Hugo hic.*

Eodem Anno in ſuis Cuſtodijs)

Non

Non negat, quin poſsint Capitula Provincialia etiam alijs Annis celebrare, ſed de iſto fit ſpecialiter mentio, quia eſt præ reliquis neceſſarium, ut Ordinationes Generalis Capituli per Capitula Provincialia celerius publicentur, & ut poſsit de abſolutis Miniſtris Provincialibus provideri. *D. Bonav. ibidem.*

De Prædicatoribus.

CAPUT IX.

Fratres non prædicent in Epiſcopatu alicuius Epiſcopi, cum ab Eo illis fuerit contradictum, & nullus Fratrum populo Penitus audeat prædicare, niſi a Miniſtro Generali huius Fraternitatis fuerit examinatus & approbatus, & ab Eo Officium ſibi prædicationis conceſſum. Moneo quoq; & exhortor eosdem Fratres ut in prædicatione, quam faciunt, ſint examinata & caſta eorum eloquia, ad utilitatem & ædificationem populi, annuntiando ei vitia & virtutes, pœnam & gloriam, cum brevitate sermonis, quia verbum abbreviatum fecit Dominus ſuper terram. *Fra-*

Fratres non prædicent) Æquipollet præcepto. *Clem. V. cap:* 1. *& Nicol: III. art:* 9. Ex isto capitulo patet, quod Fratribus ex intentione S. Francisci incumbit studere, quia sine studio non possunt verba debito modo examinare. Patet etiam, quod Fratres ex sua professione habent prædicare, & plus, quam ulli alij Religiosi ratione sui status, cum in Regula ut specialis tractatus ponatur. *D. Bon. ibidem.* Imposito uno, omnia imponuntur, sine quibus impositio expediri non potest. Cum ergo Fratres non fabulas, sed verba debeant prædicare Divina, quæ nec scire, nisi legant, nec legere, nisi habeant scripta, possunt; constat tam esse de perfectione Regulæ habere libros ad prædicandum, sicut est, habere Missalia ad divinum Officium, aut etiam prædicare, Tamen cavendum summopere, ne sub colore Necessitatis, excessus se ingerat superfluitatis. Superfluitas enim insignis extremæ paupertatis destructio est: & ideo ejus voto incompatibilis. Est autem

tem ſuperfluum illud, quo ablato, ſufficit reliquum. Exceſſus ſuperfluus maximè conſiſtit in Numeroſitate, quantitate, ſumptu & decore. *Hugo in capite* 6. Quia in poteſtatibus ordinatis, quidquid poteſt inferior, etiam poteſt ſuperior; Si Sacerdos Parochus curam habens, nolit admittere Fratrem Miſſum canonicè, peccat mortaliter, quia qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Et quod dico de prædicatione, intelligo de Confeſſionibus audiendis. Poſſunt enim Fratres Apoſtolica ordinatione in privilegiis Ordinis expreſſa audire cuiuscunq; Sacerdotis Parochianos, si poteſtatem habeant ab Epiſcopo audiendi. Et quia Curia Romana hoc determinat, hæreticum eſt aliud pertinaciter affirmare. Sicut patet. 22. *diſtin: c. Omnes. Hœc D. Bon: in hoc* 9. *Caput.*

Et nullus Fratrum populo) Æquipollet præcepto. *Clem. V. cap: Nicol: III.* etiam dat hanc poteſtatem Miniſtris Provincialibus in Capitulo cum Deſinitoribus art; 9. & Julius

11.

11. folis Miniftris per se, *in Conftit: cap: 9. part: 2.*

Omnes Fratres prædicare debent Sanctæ converfationis exemplo, prout Sanctus in Regula prius hortabatur, dicens: Omnes FF. operibus prædicent. Solent etiam in Menfa, in via, & ubiq; bonis ædificare fermonibus, ad pænitentiam provocare. *Hugo ibidem.*

Moneo quoq;) Vult Sanctus eorum eloquia examinata effe, ne fint erronea, vel incauta, cafta, ne fapiant immunditiam, avaritiam, vanitatem, ne rifum excitent, ut faftum vel impetum prædicantis, & omnem intentionis corruptionem excludant. *D. Bon: & Hugo in hunc locum.*

Cum brevitate fermonis) Hæc brevitas excludit verborum ambages, & Sententias involutas, verba etiam ardua fuper capacitatem audientium, non autem prolixitatem fermonis cum expedit, quia ipfe Dominus aliquando prolixè prædicavit. Tamen ad litteram etiam Studendum eft brevitati, quia prolixitas generando

fafti-

fastidium, Auditores pluries retrahit ab auditu. *D. Bon: ibidem.*

De Admonitione & Correctione Fratrum.

CAPUT X.

Fratres qui sunt Ministri & Servi aliorum Fratrum visitent & moneant Fratres suos, humiliter & charitativè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam & Regulam Nostram. Fratres vero qui sunt subditi, recordentur quod propter Deum abnegaverunt proprias Voluntates. Unde firmiter præcipio eis, ut obediant suis Ministris in Omnibus, quæ promiserunt Domino observare, & non sunt contraria animæ suæ & Regulæ Nostræ. Et ubicunq; sunt Fratres, qui scirent & cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter observare, ad suos Ministros debeant & possint recurrere. Ministri vero charitativè & benigne eos recipiant, & tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis, & facere, sicut Domini servis suis. Nam ita debet esse, quod Mini-

Ministri sint servi Omnium Fratrum. Moneo quoq; & exhortor in Domino Jesu Christo, ut caveant Fratres ab omni superbia vana gloria invidia, averitia, cura & sollicitudine hujus sæculi, detractione & murmuratione. Et non curent nescien tes literas, discere sed attendat quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini & sanctam ejus operationem orare semper ad Deum puro corde & habere humilitatem & patientiam in persecutione & infirmitate & diligere eos qui nos persequuntur reprœhendunt & arguunt quia dicit Dominus Diligite Inimicos vestros & orate pro persequentibus & calumniantibus vos Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam quoniam ipsorùm est Regnum cœlorum, qui autem perseveraverit in finem hic salvus erit.

Humiliter & charitativè) Humiliter & charitativè corrigere, optimus corrigendi modus est. Tenentur autem qui præsunt corrigere insolentes. Statum enim Ordinis disciplina conservat. Perit Religio, ubi

ubi correctio deficit, quod Præsidentibus maximè imputatur. Facientis procul dubiò culpam habet, qui, quod potest corrigere, negligit emendare. Prælatus vitia dum non corrigit. Ordinem dissolvi patitur, & destruit, Debet tamen esse in corrigentis verbo humilitas, charitas in affectu. Adeo saltem debet correctio esse humilis, ut contumelia careat, adeo charitativa, ut odio vel indignatione nil agat, Itaq; humilitatis & Charitatis ratio non excludit zelum, sed fastum. *Hugo ibid: Contra animam suam & Regulam*) Contra animam dicitur non solum peccatum, imo illud etiam, quod esset huiusmodi incentivum & proximum ad peccatum. Contra Regulam videtur esse non solum, quod est contra præcepta Regulæ imò quod est contra Statuta Ordinis, ad Servandam Regulæ puritatem 4. *Mag: ibid:*

Proprias voluntates) Propria voluntas est illa, quæ omnino Divino imperio non ligatur, vel superiorum Regulis non adhæret. *D. Bon ibid:*

Ut obediant suis Ministris) Obedien-

diendum eft igitur Apoftolo Petro admonente, non folum bonis & Modeftis, fed etiam difcolis, ubi nihil contra Deum vel confcientiam imperatur. Multi fiquidem fub malis Prælatis Sanctam cum humilitate foverunt converfationem & vitam. Obediendum inquam Miniftro Generali, Provincialibus in fuis Provinciis, Gvardianis in Gvardianatibus fuis, & quibuscunq; Prælatis per Regulam datis. *Conftit: Julii* II. *cap.* I. *part:* 4.

In omnibus, quæ promiferunt) Promiferunt fcilicet explicitè vel implicitè. *D. Bonav: ibìdem.*

Et ubicunq; funt Fratres, qui fcirent &c.) Æquipollet præcepto. *Clemens V. cap:* I.

Spiritualiter) B. Francifco mos fuit dicere, Spiritualiter fieri, quod purè feu religiofe fiebat. *Hugo ibidem.*

Spiritualiter non poffe fervare, poteft intelligi, aut non poffe fervare Regulam fecundum fuum rigorem, five fecundum fuam puritatem, vel fine occafione proxima ad peccatum.

Aliis

Aliis verò videtur, quod illud referendum ſit ad locum, si ſcilicet Fratribus ratione loci præſtetur impedimentum, ne purè poſſint Regulam obſervare: vel quia loco eſt annexa proprietas, vel cura aliquarum animarum, ad quam ratione loci, Fratres neceſſariò tenentur. 4. *Mag: ibid:*

Spiritualiter, hoc eſt: in his præcipuè, quæ ſpiritualia ſunt, ut tranquillitas cordis. & puritas conſcientiæ. *D. Bon: ibidem.*

Recurrere) Per se, vel per Nuntium, forma Statutorum Ordinis ſervata in eundo, quia iſtud debitum non eſt exemplum ab obedientia Statutorum *D. Bon: ibid:*

Ut dicere poſint) Informatio eſt Miniſtrorum, ne verbo aut facto prætendant faſtum, qui poſſit repellere ſubditos a ſiducia ad Miniſtros in Neceſſitatibus recurrendi. Non eſt autem intelligendum, quod ſubditis detur occaſio ſuperbiendi per nimiam humilitatem Miniſtrorum. Unde dicit S. Gregorius [Part: 2. curæ Paſtor: cap: 6. & epiſt: 14. lib: 1.

Reg:

Reg:) Dum nimis fervatur humilitas regendi, frangitur auctoritas. Unde qui dixit (Math: 20) Qui maior eft veftrum &c. & non dixit. Qui minor eft, fiat ficut Maior: *D. Bon: ibidem.*

Superbia] Cordis, converfationis, fermonis, & operis. *D. Bon: ibidem.*

Avaritia, Cura, & Sollicitudo) In culpam avaritiæ & follicitudinis nimiæ incidunt omnes fuperfluitates librorum, aut veftium, aut ædificiorum, aut fimilium. *D. Bon: ibidem.*

Et non curent Nefcientes) Multis literarum ftudium, ftudii orationis & devotionis & charitatis ad Fratres, negligentiam parit. Religio ad virtutes potius, quam ad apices vocat, Si bonus Studens vis effe, bonitatem & difciplinam, fcientiæ anteponere ftude. *Hugo in hunc locum.*

Nefcientes literas] Sanctus Regulæ Conditor non literatis, fed Laicis & illiteratis ftudium vetat. Nefcientes literas, literas difcere, noluit,

luit, non vetuit. Alioquin ſuæ contrarius Regulæ ipſe fuiſſet, qui exiſtens **in Ordine**, cum paucas literas ſciret, **poſtmodum** non ſolum orando, ſed etiam **legendo** profecit; & alios, Fratres in **Divinis** ſtudere literis voluit, & ut Sacræ ſcripturæ Doctores in maxima reverentia haberentur, mandavit. *Hugo ibid:*

Sed attendant) Magis neceſſariis, magis eſt inſiſtendum. Nulla potior, quam practica virtutum ſcientia Sic merito ſuper omnia deſideratur Spiritus Domini, & operatio ejus Sancta. Non tamen repræhenditur. Studium, niſi propter hoc a neceſſariis declinet vita ſtudentium, imo devotè ſtudentem Sacræ promovent literæ, ad virtutem. *Hugo ibidem.*

Et patientiam in perſecutione & Infirmitate] Ad patientiam in Infirmate pertinet, paucis obſequiis, paucisq; remediis contentum eſſe juxta exigentiam paupertatis. *D. Bon: ibidem.*

Quod

Quod Fratres non ingrediantur Monafteria Monacharum.

CAPUT XI.

Præcipio firmiter Fratribus Univerfis, ne habeant fufpecta confortia vel confilia Mulierum, & ne ingrediantur Monafteria Monacharum, præter illos quibus a fede Apoftolica conceffa eft licentia fpecialis. Nec fiant compatres virorum vel Mulierum, ne hac occafione inter Fratres vel de Fratribus fcandalum oriatur.

Sufpecta confortia] Sufpectum confortium eft non folum Mulieris fufpectæ, imò cum Omni Muliere, ubi locus & tempus, geftus & afpectus, & alia Notabilia indicia fufpicionem laudabiliter non excludunt. Illam autem fufpicionem hic exiftimo prohiberi, quæ Fratri excitat tentationis enormis ftimulum, vel crimini præftat fomentum, vel quod poteft apud alium vel alios fcandalum generare. Et hic exiftimo omne fufpectum prohiberi colloquium, quod ordinatur ad carnis immunditiam quamcunq; & quod poteft hu-

jus rei scandalum, vel suspicionem probabiliter excitare. *D. Bon: in hunc locum.*

Eo ipso quis reddit se suspectum, quo dissvasum sibi, maximè a Prælatis, non vitat consortium: Non decet Religiosum virum quamtumvis honestarum frequentatio Mulierum. *Hugo in hoc caput.*

Et ne ingrediantur Monasteria Monachàrum præter &c.) Nicolaus III. declarat id intelligendum de quarum libet Monasteriis Monialium, quo ad officinas interiores; quo autem ad pauperes Moniales inclusas, etiam de crate exteriori, ut ad eam etiam exterius Fratres Minores Monialibus intus existentibus loqui non possint, sine sedis Apostolicæ licentia speciali, licet sæcularibus permittatur art: 12. Hæc autem licentia committ tur a sede Apostolica Ministro Pro vinciali, danda subditis in scriptis. *Cap: Generale Burgense Auctoritate Apostolica habitum.* Hæc inhibitio de omnibus Monialium domibus intelligitur, & ad omnes Monachas refertur. Et sicut Monachi sunt non

solum

folum collegiati, verum etiam folitarii, fic & Monachæ & Moniales intelligendæ funt, non folum collegiatæ, verum & quæ inclufæ dicuntur, & folitariam vitam agunt, & hæ funt vitandæ ut Moniales collegiatæ. *D. Bon: ibidem.*

De Euntibus inter Saracenos & alios Infideles.

CAPUT XII.

Quicunq; Fratrum Divina infpiratione voluerint ire inter Saracenos & alios infideles, petant eundi licentiam a fuis Miniftris Provincialibus. Miniftri verò nullis eundi licentiam tribuant, nifi eis quos viderint effe idoneos admittendum. Ad hœc per obedientiam injungo Miniftris, ut petant a D. Papa unum de S. Romanœ Ecclefiœ Cardinalibus, qui fit Gubernator, Protector, & Corrector hujus Fraternitatis, ut femper fubditi & fubiecti pedibus ejusdem S. Romanœ Ecclefiœ, ftabiles in fide Catholica, paupertatem & humilitatem & S. Evangelium D. N. J. Chrifti quod firmiter promifimus, obfervemus.

Volu-

Voluerint.) Quia hæc Obedientia non eſt involuntariis imponenda. *D. Bonav. ibid.*

Divina inſpiratione.) Non levitate vel impetuoſitate, non aſtutia ſubterfugiendæ Diſciplinæ. *D. Bonav. ibid.*

Quod firmiter promiſimus.) Id eſt: quatenus ipſum promiſimus. *D. Bonav. ibidem.*

Confirmatio.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtræ Confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum Ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Laterani tertio Calendas Decembris. Pontificatus Noſtri anno octavo.

Verba Beatiſſimi Patris Noſtri S. FRANCISCI.

O! Dilectiſſimi Fratres & in æternum Benedicti Filii!
Audite me! Audite vocem Patris Veſtri.
Magna promiſimus, majora promiſſa ſunt nobis. Ser-

Servemus hæc, ſuſpiremus ad illa.
Voluptas brevis, pæna perpetua.
Modica paſſio, Gloria infinita.
Multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio Amen.

Ejusdem Patris imprœcatio, vel maledictio, contra Scandaloſos Fratres.

B. Pater Franciſcus his, qui in hunc ordinem aliquid contra paupertatis votum inducerent, vel alios ſuo malo exemplo deſtruerent; aliquando dicebat:

A Te Sanctiſſime Pater, & à tota Cœleſti Curia, & à me pauperculo ſint maledicti, qui ſuo malo exemplo confundunt & deſtruunt, quod Tu per SS. FF. hujus Ordinis œdificaſti, & œdificare nunquam ceſſas.

Incipit Teſtamentum S P. N. FRANCISCI.

Dominus dedit mihi Fratri Franciſco ita incipere facere pænitentiam, quia cum eſſem in pecatis meis, nimis mihi videbatur amarum videre leproſos: & ipſe Dominus adduxit me inter illos, & feci miſericordiam cum illis; & recedente me ab ipſis, id quod mihi videbatur ama-

marum, conversum fuit mihi indulcedinem animæ & corporis. Et post ea parum steti, & exivi de sæculo. Et Dominus dedit mihi talem Fidem in Ecclesiis, ut ita simpliciter adorarem & dicerem. *Adoramus te Sanctissime Domine JESU Christe hic, & ad omnes Ecclesias tuas quæ sunt in toto mundo, & benedicimus Tibi, quia per Sanctam Crucem tuam redemisti mundum.* Et postea dedit mihi Dominus tantam Fidem in Sacerdotibus qui vivunt secundum formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, propter Ordinem ipsorum, quod, si facerent mihi persecutionem, volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam Sapientiam, quantum habuit Salomon, & invenirem pauperculos Sacerdotes hujus sæculi; in Parochiis, in quibus morantur, nolo prædicare contra ipsorom voluntatem. Et ipsos & omnes alios, volo timere, amare, & honorare, sicut meos Dominos. Et nolo in ipsis considerare peccatum, quia Filium DEI cerno in ipsis, & Domini mei sunt. Et hæc propter hoc facio, quia nihil

hil corporaliter video in hoc ſæculo de ipſo Altiſsimo Filio DEI, niſi Sanctiſsimum corpus & Sangvinem ejus, quod ipſi ſoli recipiunt, & ipsi ſoli aliis adminiſtrant. Et hæc Sanctiſsima Myſteria ſuper omnia volo honorare & venerari, & in locis prætioſis collocari. Et Sanctiſsima nomina ejus, & verba ſcripta ubicunquè invenero in locis illicitis, volo colligere, & rogo quod colligantur, & in loco honeſto collocentur. Et omnes Theologos, & qui miniſtrant nobis Sanctiſsima verba Divina, debemus venerari, ſicut qui miniſtrant nobis ſpiritum & vitam. Et poſtquam Dominus dedit mihi de Fratribus; nemo oſtendebat mihi, quid deberem facere: ſed ipſe Altiſsimus revelavit mihi, quod deberem vivere ſecundum formam S. Evangelii. Et ego paucis & ſimplicibus verbis feci ſcribi, & D. Papa confirmavit mihi. Et illi qui veniebant ad recipiendum vitam iſtam, omnia quæ habere poterant, dabant pauperibus; & eramus contenti tunica una, intus & foris repe-

tiata, cum cingulo & braccis & nolebamus plus habere. Officium dicebamus Clerici ſecundum alios Clericos, Laici vero dicebant Pater Noſter. Et ſatis libenter manebamus in Eccleſiis pauperculis, & derelictis. Et eramus Idiotæ, & ſubditi omnibus. Et ego manibus meis laboravi, & volo laborare, & omnes tFratres volo quod laborent de laboritio, quod pertinent ad honeſtatem. Et qui neſciunt, diſcant, non propter cupiditatem recipiendi prætium laboris, ſed propter exemplum, & ad expellendam otioſitatem. Et quando non daretur nobis prætium laboris, recurrebamus ad menſam Domini, petendo Eleemoſynam oſtiatim. Salutationem mihi Dominus revelavit, ut dicerem: *Dominus det tibi pacem.* Caveant ſibi Fratres ut Eccleſias, & habitacula, & omnia alia, quæ pro ipſis conſtruuntur, penitus non recipiant; niſi eſſent, ſicut decet Sanctam paupertatem, quam in Regula promiſimus: ſemper ibi hoſpitantes ſicut advenæ & peregrini. Præcipio firmiter Fratribus uni-

universis per obedientiam, quod ubicunquè sint, non audeant petere aliquam literam in Curia Romana, nequè pro Ecclesia, nequè pro aliquo loco, nequè sub specie prædicationis, nequè pro persecutione suorum corporum: sed ubicunquè non fuerint recepti, fugiant ad aliam terram ad faciendam pænitentiam cum benedictione DEI. Et Firmiter volo obedire Ministro Generali hujus Fraternitatis, & illi Gvardiano, quem sibi placuerit mihi dare. Et ita volo esse captus in manibus ejus, ut non possim ire, vel facere ultra obedientiam & voluntatem suam, quia Dominus meus est. Et quamvis sim simplex & infirmus, tamen semper volo habere Clericum, qui mihi faciat Officium, sicut in Regula continetur. Et omnes alii FF. teneantur ita obedire Gvardianis suis, & facere Officium secundum Regulam. Et quicunquè inventi essent, qui non facerent Officium secundum Regulam, aut vellent alio modo variare, aut non essent Catholici; Omnes FF. ubicunque sunt,

per obedientiam teneantur, quod, ubicunquè invenerint aliquem ipsorum, proximiori Custodi illius loci, ubi illum invenerint; repræsentare debeant. Et ipse firmiter teneatur per obedientiam ipsum custodire sicut hominem in vinculis, die noctuquè, ita, quid non possit eripi de manibus suis, donec propria persona ipsum repræsentet in manibus sui Ministri. Et Minister firmiter teneatur per Obedientiam mittere ipsum, per tales Fratres, qui die noctuquè custodiant, ipsum, sicut hominem in vinculis, donec repræsentet ipsum coram Domino Ostiensi, qui est Dominus Protector, & Corrector hujus Fraternitatis. Et non dicant Fratres: Hæc est alia Regula: quia hæc est recordatio, admonitio, exhortatio, & meum Testamentum, quod Ego Frater Franciscus parvulus vester facio vobis Fratribus meis benedictis: propter hoc, ut Regulam, quam Domino promisimus, melius Catholice observemus. Et Generalis Minister, & omnes alii Ministri & Custodes teneantur in

istis

istis verbis non addere vel demere. Et semper hoc scriptum habeant secum juxta Regulam, & in omnibus Capitulis quando legunt Regulam, legant & ista verba: Et omnibus Fratribus meis Clericis & Laicis præcipio per Obedientiam, ut non mittant glossas in Regula, nequè in istis verbis, dicendo, Ita voluit intelligi. Sed sicut Dominus dedit mihi simpliciter, & pure dicere & scribere sine glossa intelligatis, & cum Sancta operatione observetis usquè in finem. Et quicunquè hæc observaverit, in Cælo repleatur benedictione Altissimi Patris, & in terra repleatur benedictione Filii sui, cum Sanctissimo Spiritu Paracleto, & omnibus virtutibus Cælorum, & omnibus Sanctis. Et Ego Frater Franciscus Parvulus vester & Servus, quantumcunq; possum, confirmo Vobis intus & foris istam Sanctissimam benedictionem. Amen.

SUM-

SUMMARIUM.

Præceptorum in Regula.

Præter tria vota ſubſtantialia & ſolemnia: *Obedientiæ*, *Paupertatis*, & *Caſtitatis*, in Regula Noſtra continentur 25. præcepta ſub peccato mortali obligantia nimirum.

VII. Præcepta Formalia
II. Inhibitoria
IV. Habentia vim præcepti.
XII. Æquipollentia præceptis.

Præcepta formalia.

1. Quod totus Ordo teneatur præſtare Obedientiam, & reverentiam Domino Papæ, & Romanæ Eccleſiæ. *Cap.* 1.
2. Quod FF. nullo modo denarios vel pecuniam recipiant. *Cap.* 4.
3. Quod FF. obediant ſuis Miniſtris in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſervare. *Cap.* 10.
4. Quod FF. non habeant ſuſpecta conſortia Mulierum. *Cap.* 11.
5. Quod non fiant compatres Virorum aut Mulierum. *Cap.* 11.
6. Quod non ingrediantur Monaſteria Monacharum. *Cap.* 11.

7. Quod Miniſtri petant unum de S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit Gubernator, Protector & Corrector hujus Fraternitatis. *Cap.* 12.

Inhibitoria.

1. Quod nullo modo liceat Fratribus de iſta Religione exire. *Cap.* 2.
2. Quod FF. nihil ſibi approprient. *Cap.* 6.

Habentia vim prœcepti.

1. Quod FF. teneantur recurrere ad Miniſtros Provinciales pro Caſibus reſervatis. *Cap.* 7.
2. Quod FF. habeant unum de Fratribus iſtius Religionis Generalem Miniſtrum. *Cap.* 8.
3. Quod Miniſtri & Cuſtodes teneantur inſimul convenire in Capitulo Generali pro Electione Succeſſoris Generalis Miniſtri. *Cap.* 8.
4. Quod ſi aliquo tempore appareret universitati Miniſtrorum Provincialium & Cuſtodum, prædictum Miniſtrum non eſſe ſufficientem, debeant eligere alium. *Cap.* 8.

Æqui-

Æquipollentia.

1. Quod FF. habeant unam tunicam cum Caputio, & aliam sine Caputio, qui voluerint habere. *Cap.* 2.
2. Quod illi tantùm qui necessitate coguntur possunt portare Calceamenta. *Cap.* 2.
3. Quod vilibus vestimentis induantur. *Cap* 2.
4. Quod Clerici faciant Divinum Oficium secundum Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ, & Laici dicant *Pater Noster.* *Cap.* 3.
5. Quod FF. jejunent a Festo OO. Sanctorum usq; ad Nativitatem Domini, Sanctam Quadragesimam Resurrectionis, & in sextis Feriis totius Anni. *Cap.* 3.
6. Quod non equitent nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur. *Cap.* 3.
7. Quod Ministri & Custodes solicitam curam gerant pro necessitatibus Infirmorum, & aliis Fratribus induendis. *Cap.* 4.
8. Quod FF. serviant Fratribus Infirmis. *Cap.* 6
9. Quod FF. non prædicent in Episco-

ſcopatu alicujus Epiſcopi, cum ab eo illis fuerint contradictum. *Cap.* 9.

10. Quod nullus Fratrum populo audeat prædicare, nisi à Miniſtro Generali hujus Fraternitatis fuerit approbatus. *Cap.* 9.

11. Quod ubicunque ſunt FF. qui ſcirent & cognoſcerent ſe non poſſe Regulam Spiritualiter obſervare, poſſint & debeant ad ſuos Miniſtros recurrere. *Cap.* 10.

12. Omnia, quæ ponuntur in Regula, quo ad formam Habitûs tam Novitiorum, quam etiam Profeſſorum, & ad modum receptionis ac Profeſſionis ſpectantia in quo multæ conditiones obligatoriæ comprehenduntur. *Cap.* 2.

FORMULA.

Profeſſionis FF. Minorum.

Ego Frater N. voveo & promitto DEO Omnipotenti, & Beatiſſimæ Mariæ Virgini, & B. Franciſco, & omnibus Sanctis, & tibi Pater, toto tem-

tempore vitæ meæ ſervare Regulam Fratrum Minorum, per Dominum Papam Honorium confirmatam, vivendo in Obedientia, ſine proprio, & in Caſtitate.

Prælatus, qui Profeſſionem recipit, reſpondet:

Et Ego, ex parte DEI, ſi hæc obſervaveris, promitto tibi vitam æternam. Amen.

ORATIO

Pro Renovanda Profeſſione.

Gratias Tibi ago Domine JESU Chriſte pro gratia ſingulari, qua me viliſſimum peccatorem de hoc ſæculo nequam eduxiſti, & in hoc Religioſiſſimo ordine ad Solemnem Profeſſionem admiſiſti.

Doleo ex toto corde, quod gratiæ huic non ſatis reſponderim, & pro tanto beneficio ingratus fuerim. Deteſtor omnes negligentias, in hoc Statu commiſſas, & quod tam parum ad ejus perfectionem aſpiraverim. Ignosce mihi Deus veniæ largitor & da, ut vel nunc tandem tua gratiâ incipiam, ſicut ex animo cupio,

pio, propono, & desidero. Quodsi me votis nec dum tuæ Majestati obstrinxissem, nunc sane id facerem; ideoq; quanta devotione possum, illa nunc renovo, illisq; me ipsum Tibi in unione Sacro Sanctæ Oblationis, qua te ipsum pro nobis a primo Sanctissimæ Incarnationis tuæ instanti ad mortem usq; Patri obtulisti immolo, & novo fervore voveo, & promitto Deo Omnipotenti &c. *ut supra.* Verumtamen, quia ad hæc implenda me nimis tepidum & infirmum agnosco, rogo te misericordissime JESU, ut qui dedisti mihi vovendi voluntatem, tribuas etiam exequendi facultatem, mequè ita dirigas, ut non mihi, sed tibi soli vivam: omnesquè Ordinis ob servantias, & quidquid animæ meæ perfectionem promovere possit, summo studio amplectar: ad Maiorem nominis tui gloriam, qui es Deus Benedictus in secula Amen.

De Statu Religioso in Communi.

Quid est Status Religiosus? ℟. Est Fide-

Fidelium ad Criſtianæ Charitatis perfectionem, per ſpontanea vota paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ tendentium, perpetuo ſtabilis, ac ſocialis ordinatè vivendi modus, ab Eccleſia approbatus. Unde.

1. Eſſentia Status Religioſi ſine tribus prædictis votis ſubſiſtere nequit, ita, quod nec Papa diſpensare poſit, in ſensu compoſito, ut ſit aliquis Religioſus, & non sit adſtrictus prædictis votis, ſunt enim de jure Divino non præcipiente, ſed conſulente. Et ſunt *media*, ſine quibus ad perfectionem nemo tendere poteſt. Quamvis Papa poſsit ex gravi causa diſpensando facere ex Religioso, non Religioſum.
2. Hæc tria vota emitti debent ſub obligatione perpetua.
3. Quod Status Religioſus debet eſſe ſtabilis, & ſocialis ordinate vivendi modus.
4. Ut vota irrevocabilia eſſe valeant, debent emitti in Religione a ſummo Pontifice approbata ex

præ-

præsè, quamvis olim suffecerit approbatio tacita.

In quonam consistit perfectio Status Religiosi? ℟. In Charitate, & quidem non in qualicunquè sed in illa, quæ est alte in anima radicata, & sulfulta adminiculo aliarum virtutum. Unde alii constituunt eam in cumulo virtutum omnium. *Ratio 1mi:* Quia 1. Timoth. 1. dicitur *Finis præcepti est Charitas.* Ad Colofs 3. *Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis Ratio 2di;* Quia tunc Charitas perfecta est, cum illam comitantur aliæ virtutes. Quamdiu enim quis est patiens, humilis, mitis, obediens, Castus &c. tamdiu permanebit in Charitate. *Altè radicatur,* cùm per frequentatos actus figit quasi radices in anima Religiosi; ita ut nullis ventis tentationum avelli posit, juxta Apostolum: *Quis nos separabit à Charitate Christi: an tribulatio &c.*

Quænam est obligatio tendendi ad perfectionem? ℟. Quævis Persona Religiosa utriusq; sexûs tenetur

sub

ſub mortali tendere ad perfectionem; hoc eſt: arripere ea media, quæ ſunt neceſſaria ad eam acquirendam. *Ratio eſt:* quia Religioſus ad id ſe graviter obligavit; Conseqventer non tendens ad perfectionem, committeret peccatum ſimulationis, mendacii, & hypocriſis in materia gravi. Status enim Religioſus ſe ipso oſtendit omnibus ſanctitatis & perfectionis curam, ideo habet reverentiam apud omnes, etiam ſummæ dignitatis homines, & Privilegia in omni jure maxima. Non tamen tenetur eſſe actu perfecta, quia Status Religioſus non eſt Status Perfectorum, ſed tendentium ad perfectionem.

Obligatio iſta tendendi ad perfectionem in quo conſiſtiſt? ℞. Conſiſtit in quodam conatu, ac ſtudio magis proficiendi, hic vero conatus & ſtudium magis proficiendi, conſiſtit in ſolicita votorum, Regularum, ac Statutorum ſui ordinis obſervatione. Hinc.

1. Gravis culpa incuritur, cum ea,

quæ

quæ ad perfectionem conducunt, formaliter contemnuntur.

2. Formalis contemptus fit, dum omittuntur præcepta, vel Statuta, animo se non subijciendi Regulæ, vel Superiori præcipienti, vel si tanquam inania reputantur, & ut talia violantur.

3. In malo Statu est Religiosus qui habet consvetudinem frequenter non observandi, sed transgrediendi Instituta Regularia, vgr. Orationem mentalem, Silentium, Examina &c.

4. Securius tamen est vivere in Religione, quam in sæculo: quia juxta S. Bernardum: *Religiosus rarius cadit, citius consurgit &c.* & si quod est periculum, non est illud ex natura Religionis, sed ex tepiditate Religiosi.

Unde dignosci possit spiritus Novitii?
℟. Juxta S. Benedictum ex his quatuor.

1. *Si vere Deum quœrit.* Multi enim quærunt solum commoditatem. Unde *habentes Alimenta, & quibus tegantur* haud sunt contenti, sed

ſed eligunt meliora & molliora, delectantur curioſitatibus, horrent aſpera &c. Alii quærunt honorem, & iſti horrent humiliationem, confuſiones &c. Alii quærunt quidem Deum, ſed non verè verum tæpide, quia ſunt frigidi, ignavi, exosi labores, ſervantes diſciplinam præciſe ob oculum Superioris. &c.

2. *Si ſolicitus eſt ad opus Dei.* Scilicet ſi libenter, et non coactus, reverenter, integrè &c. cum Deo agit, Chorum frequentat &c.

3. *Si ſolicitus ſit ad Obedientiam.* Status enim Religioſus ſine obedientia vacuus eſt, & inanis

4. *Si ſolicitus ſit ad opprobria patienter toleranda* Patientia enim eſt certè lapis lydius, quo Spiritus bonus probatur.

Quid eſt Paupertas Religioſa? ℞. Eſt voluntaria rerum temporalium abdicatio, amore Dei facta, per quam Religioſus ſolemniter Profeſſus ipſarum proprietate privatur. In particulari: *ut omnes Religioſi.* Vel tam in particulari,

quam

quam in communi, ut *Fratres Minores.* Unde:

1. Religiosus sic uti rebus tenetur, ut non nisi usum earumdem rerum nudum, & simplicem facti se habere judicet.
2. Idq: dependenter a libera Domini concedentis voluntate & de Superioris consensu & licentia explicita, vel implicita, vel saltem rationabiliter præsumpta.
3. Ita tamen, ut usus illarum rerum intra terminos honestatis & Regulæ contineatur, cum exclusione superfluitatis, curiositatis, præciositatis &c.

Quid est Castitas Religiosa? ℟. Est votum solemne, quo se Religiosus amore Dei obligat ad abstinentiam perpetuam a voluptatibus carnalibus illicitis, & alias licitis.

Quid est obedientia Religiosa? ℟. Est votum solemne, quo Religiosus Amore Dei propriam voluntatem subiiciens voluntati Superiorum, se obligat ad parendum in omnibus, quæ non sunt contraria Regulæ, & animæ suæ. Hinc

 Obe-

Obedientia, dummodo ſit perfecta, eſt norma & conſummatio vitæ Religioſæ.

Ut autem ſit perfecta, & Deo grata debet eſſe: 1 Prompta, 2. Cæca, ſine examinatione rationum Superioris. 3. Hilaris, ſine murmuratione. 4. Humilis. 5. Fortis, ad facilia & ardua adimplenda.

Quid eſt Profeſſio Religioſa? ℟. Eſt promiſſio libere facta, & legitimè acceptata, quâ quis in debita ætate conſtitutus, poſt annum Probationis expletum, ſe devovet Deo, & adſtringit Religioni certæ ab Eccleſia approbatæ.

INDEX
Contentorum in hoc Devotionali Franciscano.

Offi-

De-

INDEX.

INDEX.

Ad M. D. G.
B. V. Mariæ Honorem.
S. P. N. Franciſci Cultum.
OOq; SS. Venerationem.